OFFICIA

PRO

FRATRIBUS MINORIBUS

STRICTIORIS OBSERVANTIAE DISCALCEATORUM

PROVINCIAE

S. PASCHALIS BAYLON LYCIENSIS

IN REGNO NEAPOLITANO

Ex specialibus Indultis

SUMMORUM PONTIFICUM

MAXIME

SS. D. N. PII PP. IX.



NEAPOLI

Ex Typographia Paschalis Tizzano

MDCCCLI.

MALEDICTUS *qui facit opus Domini negligenter.*

Jerem. Cap. XLVIII. v. 10.

Tutti i Frati paghino l' Ore Canoniche con quello spirito, vigilanza, PAUSA, *gravità, e riverenza, che si conviene* a' veri *servi dell'* ALTISSIMO, *dedicati* con ispecialità *ad onorarlo con sacrifizio di lode.*

Costituzioni ecc. Cap. 3. punto 1. *Dell' Officio Divino* §. 1. n. 2.

INDEX

APPENDIX.

ORDINIS

MINORUM EXCALCEATORUM

STRICTIORIS OBSERVANTIAE

S. PETRI DE ALCANTARA

PROVINCIAE LYCIENSIS.

Quum in praesentiarum ex diversis concessionibus, diversisque Dioecesibus, in quibus extant Coenobia Fratrum Ordinis Minorum Excalceatorum Strictioris Observantiae S. Petri de Alcantara Provinciae Lyciensis non unus, sed varius esse debeat Ordo in Divinis persolvendis Laudibus, uniformitati prospiciens R. P. recensitae Provinciae, et Ordinis modernus Preses Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam IX. humillime rogavit, ut reformatum a se Kalendarium pro suis Alumnis de benignitate Apostolica adprobare dignaretur. Sanctitas Sua, referente R. P. Andrea Maria Frattini Sanctae Fidei Promotore, de speciali gratia benigne annuit juxta preces, exhibito tamen Kalendario, quo in praesentiarum utuntur in Sacrorum Rituum Congregatione pro collatione instituenda, ex adprobatione impertienda. Die 17 Mense Augusto Anno 1849 Sacrorum autem Rituum Congregatio in Ordinariis Comitiis, ad Vaticanas Ædes subscripta die

coadunata, quum prius commisisset R. P. Procuratori Generali Ordinis Minorum de Observantia Reformatorum ut exhibitum Kalendarium disponeret ad tramites paeculiarium Rubricarum Breviarii Romano-Seraphici a s. m. Pio Papa VI. probatarum expungendo ab eodem Officia, quae non fuere legittime concessa ex defectu Precum, et attente diligenterque examinato novo Kalendario proposito pro Alumnis recensiti Ordinis et Provinciae ab eodem R. P. Generali Procuratore digesto, illud de more adprobavit, et in persolvendis Horis Canonicis sequendum esse jussit eo modo, quo superiori in Exemplari jacet. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 7. Mense Septembri Anno 1850.

A. Card. Lambruschini S. R. C. Praef.

Loco ✠ Sigilli

I. G. Fatati S. R. C. Secretarius.

JANUARIUS.

DIE XII. JANUARII

In Conventu Castellanae

INVENTIO

S. MARIAE VETERANAE

Titularis Ecclesiae Conventi

Duplex primae Classis cum Octava.

(Dies fixa)

Off. ut in ejus parv. *post Nativit.* Lect. 1. noct. ut *ad Nives.*—2. ut in *die* 6. infra Oct. Nativ. ejusdem B. M. V.— 3. noct. *Pastores loquebantur ad invicem* etc. ut in Dom. infra Oct. Nativ. Domini. ℟℟. ut ad Nives cum Com. Oct. Epiphaniae.

DIE XV. JANUARII

In Conventu Uriae

S. MAURI ABBATIS

Titularis Ecclesiae Conventi

Duplex primae Classis cum Octava.

Off. de com. non Pontif. Lect. 1. noct. de 1. loc. — 2. noct. lect. 1. pr.—2. et 3. de 1. loc. — 3. noct. de com. Abb.

DIE XIX. JANUARII

In Conventu Castellanae

OCTAVA INVENTIONIS

S. MARIAE VETERANAE

Duplex minus.

Off. ut in Festo. Lect. 1. noct. *de Scriptura occur.*

IN II. NOCTURNO.

De Expositione S. Gregorii Papae.
In Lib. I. Regum Cap. 1.

Lectio IV.

Fuit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nomine beatissima semper virgo Maria, Dei Genitrix, designari. Mons quippe fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem, electionis suae dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes Sanctos refulsit.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa: * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans — Dedi.

De Epistola S. Leonis Papae,
ad Pulcheriam Augustam.
Epistola 13. *ante medium.*

Lectio V.

Sacramentum reconciliationis nostrae ante tempora aeterna dispositum, nullae implebant

figurae: quia nondum supervenerat Spiritus Sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbraverat ei, ut et intra intemerata viscera, aedificante sibi Sapientia domum, Verbum caro fieret, et forma Dei ac forma servi in unam convenientem personam, Creator temporum nasceretur in tempore, et per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim novus homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem, et consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur et Matri, naturamque sibi nostram solus a peccato liber uniret; sub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas.

℟. Quae est ista, quae processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et Regina laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium — Viderunt.

De Expositione S. Basilii Episcopi.
In Isaiam Proph. Cap. 8. post initium.

Lectio VI.

Accessi, inquit, ad Prophetissam et in utero accepit, et peperit Filium. Quod Maria Prophetissa fuerit, ad quam proxime accessit Isaias per praenotionem spiritus, nemo con-

tradixerit, qui sit memor verborum Mariae, quae prophetico afflata spiritu elocuta est. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod si animum accomodaveris universis ejus verbis, non utique contentiose negaveris eam fuisse Prophetissam, quod Domini Spiritus in eam supervenerit, et virtus Altissimi obumbraverit ei.

℟. Ornatum monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiae Sion beatissimam praedicaverunt dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate — Et — Gloria — Uguentum.

In III. Noct. *Lect.* ut in Festo.

Pro S. Canuto Rege et M. Lect. IX. *ut* in Brev. (ex 3. fit 1.), et com. tant. de Ss. Mm. Marii etc.

DIE XX. JANUARII

In Convent. Galatonae, et Parabitae

S. SEBASTIANI M.

Patr. Princ. Loci

Duplex primae Classis.

Off. de com. 1. M. — Lect. 1. noct. de com. pl. Mm. 1. loc. — 2. noct. 1., et 2. prop. 3. Sermo S. Augustini Episcopi: *Triumphalis* etc. ut in eod. com.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 10.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis; Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi. *Can.* 10.

Quae ista divisio est? inter prima enim legis praecepta accepimus, Honora patrem tuum, et matrem tuam; et ipse Dominus ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quid sibi vult, missus potius gladius in terram, et separatus a patre filius, et filia a

matre, et nurus adversus socrum, et hominis domestici ejus inimici? Igitur exinde publica auctoritas impietati proferretur. Ubique odia, ubique bella, et gladius Domini, inter patrem et filium, et inter filiam matremque desaeviens.

℟. Corona aurea etc.

Lectio VIII.

Gladius telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit jus potestatis, et judicii severitas, et animadversio peccatorum. Et hujus quidem teli nomine novi Evangelii praedicationem appellatam frequens in Prophetis auctoritas est. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio: qui gladius missus in terram est, idest, praedicatio ejus hominum cordibus infusa. Fitque gravis in domo una dissensio, et domestica novo homini erunt inimica: quia ille per verbum Dei divisus ab illis, manere et interior et exterior, idest, et corpus et anima, in spiritus novitate gaudebit.

℟. Hic est vere etc.

Pro S. Fabiano Papa et M.

Lectio IX.

Ut in Breviario in hac die et Orat. *Infirmitatem* in comm. 1. Mart. Pont. (Ex Decr. noviss. S. R. C.).

N. B. *In Conv. Capur.* Lect. 1. noct. S. Sebastiani etc. de 1. loc. quia dupl. maj.

DIE XXII. JANUARII

In Conventu Uriae

OCTAVA S. MAURI ABBATIS

Duplex minus.

Offic. de com. non Pont. Lect. I. noct. *de Script. occur.* —2. noct. ex Oct. S. Dominici XI. Aug. Sermo S. Bernardi Abbatis: *Gaudete in Domino* etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 19.

In illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

De Homilia S. Bernardi Abbatis.
Unde supra.

Ecce enim dixit, nihil in me sedet, sed cuncta in motu sunt, omnia nutant, fluctuant universa. Postremo ubi concupiscit adhuc caro adversus spiritum, spiritus adversus carnem, quidnam hominis sedere videtur? Jam quidem sedet Filius hominis in sede majestatis: si quidem ascendens in caelum sedet a

dextris Dei. Sed, Cum sederit, dictum est, hoc est, cum apparuerit sedens, sicut Apostolus ait: Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum illo in gloria. Quid gloriosius? judicent nunc, et praejudicent superbiae filii, cum rege suo sedeant, qui sibi latera Aquilonis elegit: transibimus, et ecce non erunt.

℟. Iste est etc.

Lectio VIII.

In sedibus enim quies imperturbata est, in judicio dignitatis eminentia commendatur. Quis vero saecularis honor excogitari potest, qui non prorsus iu tantae sublimitatis comparatione vilescat? Non unius siquidem civitatis, aut populi, seu regionis unius, sed universitatis judices habent praesidere cum Christo. Nec solum homines, sed et ipsos Angelos judicabunt, qui parentem ad modicum vaporem praesentis gloriae dedignantes, et exsufflantes, improperium Christi universis praeferunt titulis dignitatum.

℟. Sint lumbi etc.

Pro Ss. Mm. Vincentio et Anastasio.

Lectio IX.

Ut in Breviario (ex 3. fit una) et comm. etc., prout dispositum fuit a S. R. C.

FEBRUARIUS.

DIE IX. FEBRUARII

In Conventu Capursi

S. SABINI EPISCOPI ET CONFESSORIS

Patr. Princ. Dioeces. Barii *

Duplex primae Classis.

Oratio.

Da quaesumus, Omnipotens Deus, ut beati Sabini Confessoris tui, atque Pontificis veneranda sollemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem. Per Dominum Nostrum etc.

In I. Nocturno. Lect. *Fidelis sermo*, de eodem Communi 1. loco.

IN II. NOCTURNO

Ex Libro Dialogorum Sancti Gregorii Papae.

Lib. 2. *cap.* 15. *et lib.* 3. *cap.* 5.

* S. R. C. 23. Maj. 1639., 2. Sept. 1741. et noviss. Respons. 1. August. et 11. Oct. 1850.

Lectio IV.

Sabinus Canusae Antistes Ecclesiae ad famulum Dei Benedictum venire consueverat, quem Vir Dei pro vitae suae merito valde diligebat. Is itaque, dum cum illo de ingressu Regis Totilae, et Romae Urbis perditione colloquium haberet, dixit: Per hunc Regem Civitas ista destruetur, jam amplius non habitetur; cui Vir Domini respondit: Roma a Gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus corruscis, et turbinibus, ac terremotu fatigata in se ipsa marcescet. Idem Sabinus longo jam senio oculorum lumen amiserat, ut omnimodo nil videret; Quem Rex Gothorum Totila Prophetiae habere spiritum audiens minime credidit, sed probare studit, quod audivit. Tu autem Domine ec.

℟. Inveni David etc.

Lectio V.

Qui cum in iisdem partibus devenisset, hunc Vir Domini ad prandium rogavit. Cumque jam ventum esset ad mensam Rex discumbere noluit, sed ad Sabini Venerabilis Viri dexteram sedit. Cum vero eidem Patri puer ex more poculum vini praeberet, Rex silenter manum tetendit, calicem abstulit, eumque per se Episcopo, vice Pueri, praebuit, ut videret,

an Spiritu praevidente, discerneret, quis ei poculum praeberet. Tunc Vir Domini accipiens calicem, sed tamen Ministrum non videns, dixit: Vivat ipsa manus, de quo verbo Rex laetatus, erubuit; quia quamvis ipse deprehensus fuisset, in Viro tamen Dei, quod quaerebat, invenit. Tu autem Domine etc.

℟. Posui adjutorium etc.

Lectio VI.

Hujus tamen venerabilis Viri, cum ad exemplum vitae sequentium, in longum senium vita traheretur, ejus Archidiaconus, ambitione adipiscendi Episcopatus accensus, eum extinguere veneno molitus est. Refectionis hora, cum jam Vir Dei ad edendum discumberet, ei praemiis corruptus puer hoc, quod ab Archidiacono ejus acceperat, veneni poculum obtulit; cui statim venerabilis Episcopus dixit: Bibe tu hoc, quod mihi bibendum praebes. Tremefactus puer, depraehensum se esse sentiens, maluit moriturus bibere, quam paenas pro illa tanti homicidii culpa tolerare; cumque sibi ad os calicem duceret, vir Domini compescuit, dicens: Non bibas, da mihi, ego bibo; sed vade, dic ei qui tibi illud dedit: Ego quidem venenum bibo, sed tu Episcopus non eris: facto igitur signo Crucis, venenum Episcopus bibit securus: ea-

demque hora in loco alio, quo inerat Archidiaconus ejus defunctus est. Mira sunt haec, sed talis ejusdem Viri vita perhibetur; ut qui conversationem ejus agnoverit, virtutem non debeat mirari. Tu autem etc.

℟. Iste est etc.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelii. *Homo peregre*, de eod. comm. 1. loco.

MARTIUS.

PRIMA FERIA III. MARTII

In Convent. Baruli, Castellanae et Capursli

S. MARIAE COSTANTINOPOLITANAE

Patronae Provinciae Barensis

Duplex primae Classis.

(Dies fixa)

Omnia ut ad Nives, praeter Lect. II. noct. Sermo S. Bernardi Abbatis; *Novum fecit Dominus* ut in IV. die infra Oct. Nativitatis ejusdem XI. Septembris.

DIE V. MARTII

S. JOANNIS JOSEPHI A CRUCE C. O. N. D.

Duplex primae Classis (1).

Omnia ut in Breviario novissimo.

APRILIS.

DOMINICA II. POST PASCHA

IN FESTO

S. FRANCISCI DE PAULA CONFESS.

ORDINIS MINIMORUM INSTITUTORIS

Duplex 1. Classis.

AD VESPERAS.

Ant. Charitas facta est in corde ejus, quasi ignis exaestuans: et verbum ipsius quasi facula ardebat. *Alleluja.*

Psalm. De Dom. et ult. loco. Laudate Dominum omnes gentes.

(1) Indulg. Plen. perp. conces. a Gregorio XVI.

Ant. Ingressus est fornacem succensam nimis, et non tetigit eum omnino ignis. *Alleluja.*

Ant. Dedit ei Dominus in mariviam, et inter fluctus semitam firmissimam. *Alleluja.*

Ant. Sustulit mortuos ab inferis de sorte mortis, in verbo Domini. *Alleluja.*

Ant. In vita sua fecit monstra et in morte mirabilia operatus est. *Alleluja.*

Capitulum.

Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans; aut cymbalum tinniens.

Hymnus.

O Fides toti dominata mundo!
O Dei puras imitata flammas
Charitas! O magnanimo Vir ambas
Pectore claudens.
Ecce naturae rata jura cedunt
Sponte Francisco: manibus retractat
Ceu rosas, ignes: pede calcat undas
Marmoris instar.
Siste, ait fornax ruitura siste
Currus o praeceps: lapis at recede
Ac novo templo loca linque: parent
Omnia dictis.

Dum jubet, nullus liceat ignis adsit.
Lampas ardescit: gelida unda fervet
Dum jubet; morbi genus omne denso
Agmine cedit.

Lingua, mens, proles, oculus, carenti
Auris, et gressus redeunt: coactus
Profugit Daemon cruciata longum
Membra relinquens.

Ipsa mors nutum timet imperantis:
Nam quibus lucem rapuit repente
(Ille sic mandat) remeare vitae
Cernit in auras,

Trinitas unus Deus, omnis Auctor
Et dator doni, tibi, dum coronas
Usque Francisco tribuis perennes
Solvimus hymnos. Amen.

℣. Posuit humilem Dominus in sublime. *All.*
℟. Et exaltavit caput ejus. *Alleluja.*

Ad Magnificat.

Ant. Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia haec, sectari supereminentem scientiae charitatem Christi, et impleri in omnem plenitudinem Dei. *Alleluja.*

Oratio.

Deus humilium celsitudo, qui Beatum Franciscum Confessorem Sanctorum tuorum gloria sublimasti: tribue quaesumus, ut ejus meri-

tis, et imitatione promissa humilibus praemia feliciter consequamur. Per Dominum etc.

Comm. Dom. 2. post Pascha ut in Brev.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Christum Dominum exaltantem, * Venite adoremus. *Alleluja.*

Psalm. Venite exultemus etc.

Hymnus.

Germen o mirum sterilis parentis
Luce monstratum supera; tenellum
Ne diu corpus lacerare perge
Rupe sub arcta.
En Viri, quamvis juvenem, praeoptant
Te sibi patrem: Duce te, nec horrent
Asperos calles; preaeuntis addit
Gloria vires.
Innocens, simplex, humilis, potentes
Te licet Reges venerentur: ornet
Te licet signis Polus ipse, nulla
Tolleris aura.
Una te tollit vehemente flamma
Charitas: coelo spatiaris, ima
Deserens terrae; recipisque toto
Pectore Numen.

Numine absorptus bibis inde fontes
Lucis: hinc Vates penetras futuri
Temporis noctem; penetras profundi
Abdita cordis.
Omne laudetur Deitas per aevum
In Patre, et Nato parilique fulgens
Spiritu; et terras erebumque et astra
Una gubernans. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Natus ex utero sterili fructus honoris, et gratiae tulit superabundante in tempore suo. *Alleluja.*

Psalm. de com. Conf. non Pontif.

℣. Meditabor in mandatis tuis quae dilexi. *Alleluja.*

℟. Et exercebar in justificationibus tuis. *Alleluja.*

De Epistola prima Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio I. cap. 12. et 13.

Fratres: Non sit schisma in corpore, sed idipsum pro iuvicem solicita sint membra. Si quid patitur unum membrum compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos au-

tem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetae? Numquid omnes Doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiam habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur? Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

℟. Orabant parentes ejus ad Dominum flentes largiter: Et exauditae sunt praeces amborum in conspectu gloriae summi Dei. *Allel.*

℣. Votum voverunt dicentes: Si dederis famulis tuis sexum virilem, dabimus eum Domino. Et exauditae sunt.

Lectio II.

Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam. Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si

distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.

℟. Adduxerunt eum ad domum Domini, et dixerunt: Pro puero isto oravimus: idcirco et commodavimus eum Domino. *Alleluja.*

℣. Dedit nobis Dominus petitionem quam postulavimus eum. Idcirco.

Lectio III.

Charitas patiens est, benigna est: charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit: sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria haec, major autem horum est charitas.

℟. Proficiebat puer atque crescebat, * Et placebat tam Domino, quam hominibus. *Allel.*

℣. Serviebat ante faciem Domini accinctus tunica parva. Et placebat. Gloria Patri. Et placebat.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Egressus abiit in desertum : corpus suum humiliavit jejuniis, at carnem suam cilicio operuit. *Alleluja.*

℟. Ecce elongavi fugiens. *Alleluja.*

℣. Et mansi in solitudine. *Alleluja.*

Lectio IV.

Franciscus Paulae, quod est Calabriae oppidum, loco humili natus est: quem parentes, cum diu prole caruissent, voto facto, beati Francisci precibus susceperunt. Is adolescens divino ardore succensus, in eremum secessit, ubi annis sex, victu asperam, sed meditationibus caelestibus suavem vitam duxit. Sed cum virtutum ejus fama longius maneret, multique ad eum pietatis studio concurrerent, fraternae charitatis causa e solitudine egressus, Ecclesiam prope Paulam aedificavit, ibique prima sui Ordinis fundamenta jecit.

℟. Duxit eum Dominus in solitudinem: ut loqueretur ad cor ejus, et doceret scientiam Sanctorum. *Alleluja.*

℣. In perpetua charitate dilexit illum ideo in vinculis charitatis attraxit eum. Ut loqueretur.

Lectio V.

Erat in eo mirifica loquendi gratia: perpetuam virginitatem servavit: humilitatem sic coluit, ut se omnium minimum diceret, suosque alumnos Minimos appellari voluerit. Rudi amictu, nudis pedibus incedens, humi cubabat. Cibi abstinentia fuit admirabilis: semel in die post solis occasum reficiebatur, et ad panem et aquae potum, vix aliquid ejusmodi obsonii adhibebat, quo vesci in Quadragesima licet: quam consuetudinem, ut Fratres sui toto anni tempore retinerent, quarto eos voto adstrinxit.

℟. Circa illum corona Fratrum quasi plantatio cedri in Libano: Et est quasi oliva gloria ejus. *Alleluja.*

℣. Luce splendida fulsit, et laetatus est, quoniam quasi rami palmae congregati sunt ad Dominum. Et est.

Lectio VI.

Multis miraculis servi sui sanctitatem Deus testari voluit, quorum illud in primis celebre, quod a nautis rejectus, Siciliae fretum strato super fluctibus pallio cum socio transmisit. Multa etiam futura prophetico spiritu praedixit. A Ludovico undecimo Francorum rege expetitus, magnoque in honore est habitus.

Denique annum primum et nonagesimum agens, Turonis migravit ad Dominum, anno salutis millesimo quingentesimo septimo : cujus corpus dies undecim insepultum : ita incorruptum permansit, ut suavem etiam odorem efflaret. Eum Leo Papa decimus in Sanctorum numerum retulit.

℟. Dilata locum tentorii tui : * Ad dexteram enim, et ad levam penetrabis, et semen tuum gentes haereditabit. *Alleluja.*

℣. Faciam te in gentem magnam, et magnificabo nomen tuum. Ad dexteram enim.

Gloria Patri. Ad dexteram enim.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Prodigium factus est multis, et Dominus adjutor fortis. *Alleluja.*

℣. Glorificavit illum Dominus in conspectu Regum. *Alleluja.*

℟. Et in verbis suis monstra placavit. *Allel.*

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. cap. 11.

In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Cap. 3. *de virt. humilit. n.* 18.

Auctor, et dator virtutum Christus, in quo omnes thesauri sapientiae, et scientiae sunt absconditi, in quo omnis plenitudo Divinitatis habitat corporaliter, de humilitate, tamquam summa suae doctrinae, suarumque virtutum gloriatus est: Discite, ait, a me non quod sobrius, aut castus, aut prudens, aut aliquid ejusmodi, sed quia mitis sum et humilis corde. A me inquit, discite. Non ad doctrinam Patriarcharum, non ad Prophetarum libros ego vos mitto: sed me vobis exemplum, me formam humilitatis exhibeo. Inviderunt mihi altitudinem, quam habeo apud Patrem, Angelus, et Faemina: Ille potentiae, illa scientiae: Vos autem aemulamini charismata meliora, discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.

℟. Per manus ejus fecit Dominus signa multa in plebe: Dedit prodigia in coelo sursum, et in terra deorsum. *Alleluja.*

℣. Mementote mirabilium ejus, quae fecit, prodigia ejus, et judicia oris ejus. Dedit prodigia.

Lectio VIII.

De grad. humilit. cap. 11. *n.* 3.

An non tibi de alto videtur clamare, ac dicere requirentibus se: Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego vos reficiam? Venite, inquit. Quo? Ad me Veritatem. Quo? Per humilitatem. Quo fructu? Ego vos reficiam. Sed quae est refectio, qua Veritas ascendentibus promittit, pervenientibus reddit? An forte ipsa est charitas? Ad hanc quippe ascendit humilitas, mox perveniet. Vere dulcis et suavis cibus charitas, quae fessos allevat, debiles roborat, maestos laetificat, jugum denique veritatis facit, suave, et honus leve.

℟. Humiliavit se sicut parvulus; et ideo amplificatus est in mirabilibus suis; * Factusque est magnus in Regno coelorum. *Allel.*

℣. Omnium servum se fecit, ut plures lucrifaceret. Factusque.

Gloria Patri. Factusque.

Lectio IX. de Dom. 2. *post Pascha ut in Brev.*

AD LAUDES ET PER HORAS.

Ant. Sermo Domini quasi ignis absconditus in corde meo, ordinavit in me charitatem. *Allel.*

Ps. Dominus regnavit *cum reliq. de Dom.*

Ant. Sermo meus non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis. *Alleluja.*

Ant. Scio esurire, et penuriam pati: omnia possum in eo, qui me confortat. *Alleluja.*

Ant. Ecce Familia mea infima est: et Ego minimus in domo Patris mei. *Alleluja.*

Ant. Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini, omnia vestra in charitate fiant. *Alleluja.*

Cap. ut in primis Vesp.

Hymnus.

Francisce, ferre pauperem
Avara te negat ratis
I solus, et nudo pede
Fructus volentes protere.
Carina, funes, carbasa
Pauperculum sit pallium
Antenna, malus, anchora
Bacillo in uno suppetunt.
Miratur haerens Navita
Pastorque de jugo stupet
Mirantur undae et litora
Incognitum Navis genus.
O mira Navis! altera
Qua nulla visa clarior,
Nec ulla visa ditior
Tantoque Thesauro gravis.

Accurrat imo e gurgite
Festiva piscium cohors,
Plaudatque Victori maris;
Figatque plantis oscula.
Tu Trinitas, et Unitas
Quae praecipis mari, et tacet
Ille rogante, naufragos
Ad litus educ patriae. Amen.

℣. Potens in terra erit nomen ejus. *Allel.*
℟. Generatio rectorum benedicetur. *Allel.*

Ad Benedictus.

Ant. Fons parvus crevit in fluvium maximum, et in aquas plurimas redundavit: humiles exaltati sunt. *Alleluja.*

Orat. ut in 1. *Vesp.*

Post comm. Dom. II. post Pascha ut in Brev.

Ad Primam.

Ant. Sermo Domini etc.

Ad Tertiam.

Ant. Sermo meus etc.

Capit. I. Cor. 13.

Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, aut cymbalum tenniens.

℟. *br.* Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum. *Alleluja allel.* Loquebar.
℣. Et non confundebar. *Alleluja allel.* Gloria Patri. Loquebar.
℣. Lucerna pedibus meis verbum tuum. *Alleluja.*
℟. Et lumen semitis meis. *Alleluja.*

Ad Sextam.

Ant. Scio esurire etc.

Cap. 1. Cor. 13.

Charitas patiens est, benigna est: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

℟. *br.* Lucerna pedibus meis verbum tuum. *Alleluja allel.* Lucerna.
℣. Et lumen semitis meis. *Alleluja allel.* Gloria Patri. Lucerna.
℣. Declaratio sermonum tuorum illuminat. *Alleluja.*
℟. Et intellectum dat parvulis. *Alleluja.*

Ad Nonam.

Ant. Vigilate etc.

Cap. 1. Cor. 13.

Nunc manent fides, spes, charitas; tria haec, major autem horum est charitas.

℟. *br.* Declaratio sermonum tuorum illuminat. *Alleluja allel.* Declaratio.

℣. Et intellectum dat parvulis. *Allel. allel.* Gloria Patri. Declaratio.

℣. Os meum aperui, et attraxi spiritum. *Alleluja.*

℟. Quia mandata tua desiderabam. *Allel.*

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis praeter sequ.

Ad Magnificat.

Ant. Dedit ei Dominus fortitudinem, et usque in senectutem permansit illi virtus, ut sit memoria illius in benedictione, et nomen ejus in aeternum permaneat. *Alleluja.*

Orat. ut in 1. *Vesp.*

Deinde comm. Dom. II. post Pascha.

DOMINICA II. POST PASCHA

In Conventu Parabitae

S. MARIAE DE CULTURA

Patr. Princ. Loci

Duplex primae Classis.

(Dies fixa)

Omnia ut *ad Nives,* praeter Lect. 2. noct. ex Patrocinio ejusdem B. M. V. ut in Dom. II. Novembris.—Sermo S. Jo: Chrysostomi : *Dei Filius*, cum IX. Lect. et comm. Dominicae occurrentis.

DIE XI. APRILIS

In Conventu Castellanae

S. LEONIS I. PAPAE ET ECCL. DOCT.

Patr. Loci

Duplex primae Classis.

Omnia ut in Breviario.

DIE XXVI. APRILIS

IN FESTO

B.M.VIRGINIS DE BONO CONSILIO

Duplex majus (1).

Omnia ut in Officio parvo B. M. V. tempore Pasch. praeter ea, quae sequuntur.

AD VESPERAS.

Post Ave maris stella, *dicitur* ℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata. *Alleluja.*
℟. Da mihi etc.

Ad Magnificat.

Ant. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuae Sanctae Imaginis Apparitionem. *Alleluja.*

(1) Indulg. Plen. concess. a PIO IX.

Oratio.

Bonorum omnium largitor Deus, qui Genitricis dilecti Filii tui speciosam Imaginem mira apparitione clarificare voluisti: concede quaesumus, ut ejusdem Beatae Virginis intercessione ad coelestem patriam feliciter perducamur. Per eumdem Dominum etc.

In fine Hymn. Compl. et Hor. diei seq. dic. Jesu . . . Qui natus es de Virgine.

AD MATUTINUM.

Invitat. Sancta Maria Dei Genitrix Virgo,* Intercede pro nobis. *Alleluja.*

Psalm. Venite.

Hymnus.

Plaude festivo, pia gens, honore,
Dum Genestani veneraris Ædem,
Qua Dei magnae Genitricis alma
Splendet Imago.
Haec ubi mira specie repente
Obtulit sese populis videndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.
Ipsa tunc aegris aderat, molestos
Corporis morbos, animique pellens
Longe, et aerumnas Latio imminentes
Ipsa fugabat.

Virgo, quae magnis decorata signis
Nunc quoque effulges, miseris juvamen,
Affer, et fusis patiens clientum
Annue votis.
Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super Coeli solio coruscans
Totius mundi seriem gubernat
Trinus, et Unus. Amen.

IN. I. NOCTURNO.

De Libro Proverbiorum. *Cap.* 2.

Lectio I.

Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animae tuae placuerit, consilium custodiet te, et prudentia servabit te, ut eruaris a via mala, et ab homine, qui perversa loquitur: qui relinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas; qui laetantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis: quorum viae perversae sunt, et infames gressus eorum. Tu autem etc.

℣. Sancta, et Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem Coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. *Alleluja.*

℟. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tuis. Quia.

Lectio II. Cap. 3.

Fili mi, ne effluant haec ab oculis tuis custodi legem, atque consilium; et erit vita animae tuae, et gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis; quiesces, et suavis erit somnus tuus: ne paveas repentino terrore, et irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, et custodiet pedem tuum, ne capiaris.

℣. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum: quia, cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum, et hominem. *Alleluja.*

℟. Beata me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis.

Lectio III. Cap. 8.

Ego Sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum; arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium, et aequitas: mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo: et qui mane vigilant ad me invenient me.

℣. Beata es, Virgo Maria, quae Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in aeternum permanens Virgo. *Allel.*

℟. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti — Gloria Patri — Genuisti.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

In Natali S. Joan. Bapt.

Hominem concepit Elisabeth, hominem Maria: sed Elisabeth solum hominem, Maria Deum et hominem. Mira res est, quomodo potuerit concipere creatura Creatorem. Quid est ergo intelligendum, Fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola Matre, qui fecit primum hominem sine patre, et matre? Primus ille noster casus fuit, quando femina, per quam mortui sumus, in corde concepit venena serpentis. Persuasit enim serpens peccatum, et admissus est male suadens. Si primus noster casus fuit, cum femina concepit corde venena serpentis: non mirandum, quod salus nostra facta est, cum femina concepit in utero carnem Omnipotentis. Uterque ceciderat sexus, uterque fuerat reparandus. Per

mulierem in interitum missi eramus; per mulierem nobis reddita est salus.

℣. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa * Dedi suavitatem odoris. *Alleluja.*

℟. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio V.

De Sermone S. Fulgentii Episcopi.

De Laud. Mariae.

Quoniam diabolus per serpentem Hevae locutus, per Hevae aures mundo intulit mortem, Deus per Angelum ad Mariam pertulit verbum, et cunctis saeculis vitam effudit. Angelus sermonem ejecit, et Christum Virgo concepit. Hoc splendore concipitur Dei filius: hac munditia generatur. De coelis medicus transiens per Virginem, post transitum suum illaesam fecit Virginem permanere. Qui enim distrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quando magis in sua Matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim ejus partu integritas corporis potius, quam decrevit; et Virginitas ampliata est potius, quam fundata.

℣. Quae est ista, quae processit sicut Sol,

et formosa tamquam Jerusalem ?* Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam. *Alleluja*.

℟. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio VI.

Maria quam praeclarissimis tribus bonis sublimetur ausculta: Salutationis Angelicae, benedictionis divinae, et plenitudinis gratiae. Sic enim eam legitur salutasse: Ave Maria, gratia plena, benedicta tu in mulieres. Et ut nihil non sublime esset in hac Sanctissima Virgine, quam Angelus gratia plenam salutavit, non sine divino consilio factum est, ut ejus etiam Imagines summo esset in honore, et prodigiis, miraculisque clarescerent. Quas inter ea tribus abhinc saeculis praecipuo honore colitur, quae, Paulo Papa Secundo sedente, mirabiliter apparuisse in pariete Ecclesiae Patrum Ordinis Eremitarum S. Augustini in Oppido Genestani Praenestinae Dioecesis, ex Pontificiis diplomatibus, et supparibus monumentis comprobatur. Quibus permotus Pius Papa Sextus praefatis ejusdem Oppidi Coenobitis Officium proprium concessit, septimo Kalendas Majas, ipso scilicet Apparitionis die recitandum; ac deinde illud, die, quae immediate subsequitur, pro ejus

recitatione in posterum assignata, ad universum praedictum Ordinem sub ritu duplicis majoris extendit.

℣. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiae Sion, beatissimam praedicaverunt, dicentes, * Unguentum effusum nomen tuum. *Alleluja.*

℟. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri — Unguentum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio S. Evangeli secundum Mattheum.

Cap. I.

Liber generationis Jesu Christi, filii David filii Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Thomae a Villanova Episcopi.

In Nativ. B. M. V.

Cogitanti mihi, ac diu haesitanti quid causae sit, quod cum Evangelistae de Joanne Baptista, et aliis Apostolis tam longum fecere

tractatum, de Virgine Maria, quae vita, et dignitate omnes antecedit, ita summatim percurrant historiam: cur inquam, non traditum est memoriae, quomodo concepta, quomodo nata, quomodo nutrita, quibus moribus decorata, quibus virtutibus ornata, quid cum Filio in humanis egerit, quomodo cum illo conversata sit, quomodo post ejus Ascensionem cum Apostolis vixerit? Magna erant haec, et memoratu digna, et quae cum summa devotione a fidelibus legerentur, a populis amplecterentur. Quis enim dubitat, quin in ejus nativitate, et pueritia mira multa contingerint? et puella haec in teneris annis stupendum saeculis virtutum omnium monumentum extiterit?

℣. Felix namque es, Sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima * Quia ex te ortus est Sol justitiam, Christus Deus noster. *Allel.*

℟. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuae Sanctae Imaginis Apparitionem. Quia.

Lectio VIII.

Haec mihi haesitanti, cur de actibus Virginis, sicut de actibus Pauli, non est compositus liber, nihil aliud occurrit (accusare enim Evangelistas negligentiae, sicut impium, ita

et temerarium judico) quam ita placuisse Spiritui Sancto; ejusque providentia Evangelistas siluisse, propterea quia Virginis gloria, sicut in psalmis legitur, omnis intus erat, et magis cogitari poterat quam describi; sufficitque ad ejus plenam historiam, quia de illa natus est Jesus. Quid amplius quaeris? Quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod Mater Dei est.

℣. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, et Sanctum nomen ejus. *Alleluja.*

℟. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio IX.

Non eam Spiritus Sanctus litteris descripsit, sed tibi eam animo depigendam reliquit, ut intelligas, nihil illi gratiae, aut perfectionis, aut gloriae, quam animus in pura creatura concipere possit, defuisse; imo reipsa intellectum omnem superasse. Ubi ergo totum erat, pars scribenda non fuit; ne putares, quod scriptum non fuerat, eidem forsitan defuisse. Si ancillas suas, et ministras domus suae potentissimus Dominus ita mirifice decoravit, ita donis, et gratiis venustavit: qualem existimas, condidit Matrem suam, unicam Spon-

sam suam, quam sibi ex omnibus elegit, et prae omnibus adamavit? Omnibus eam Altissimus praeposuit, non solum virgineis, sed etiam angelicis Choris, quia Mater ejus est, et Matrem Dei decet omnis celsitudo. Quidquid igitur de Virgine scire, aut intelligere cupis, totum in hoc clauditur breviloquio: de qua natus est Jesus. Haec longa, et plenissima historia ejus est. Te Deum laudamus.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Antiph. Dum esset Rex, *cum reliquis ut in Officio S. M. in Sabbato additis* Alleluja. *Cap.* Ab initio etc. *Hymn.* O Gloriosa Virginum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. *Alleluja.*
℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum. *Alleluja.*

Ad Benedictus.

Antiph. Beata es Maria, quae credidisti, perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino. *Alleluja.*

Oratio ut supra.

Ad Prim. in ℟. *brev. dic.* Qui natus es de Mariá Virgine.

In 2. Vesp. omnia ut in 1.

Ad Magnificat.

Antiph. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam humilem respexit Deus. *Alleluja.*

MAJUS.

DOMINICA PRIMA MAJI

Aut in aliis subseq. cum imped. fuer. ex special. Indut. PII Pp. IX die 20 Junii 1849.

SACRATISSIMI CORDIS B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut *ad Nives* (et cum *Alleluja*, si in temp. Pasch. etc.), praeter Lect. 2. noct. ex ejus Patrocinio, ut in Dominica II. Novembris. — Sermo S. Jo: Chrysostomi: *Dei Filius*, cum IX. Lect. et comm. Dominicae occurrentis.

DOMINICA II. MAJI

In Conventu Baruli

S. MARIAE DE STREPETO

Patr. Min. Princip.

Duplex secundae Classis

(Dies fixa)

Omnia ut in Festo praeced. SS. Cordis B. M. V.

DIE III. MAJI

In Conventu Parabitae

INVENTIONIS S. CRUCIS D. N. J. C.

Tit. Eccl. Convent.

Duplex primae Classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario sine ulla com.

DIE X. MAJI

In Conventu Parabitae

OCTAVA INVENT. S. CRUCIS D. N. J. C.

Duplex minus.

Off. ut in Festo. Lect. I. noct. *de Scriptura occurr.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 55. in Matth. post medium.

Lectio IV.

Neminem gloriosorum salutis nostrae signorum pudeat, summaeque bonorum, qua et vivimus, et sumus; sed ut coronam, sic Christi Crucem feramus: etenim nostra omnia per illam perficiuntur. Sive regeneratione et renovatione opus est, Crux praesto est: sive mysticus ille cibus sumendus; sive in ordinem ecclesiasticum aliqui cooptandi, sive quidvis aliud faciendum est, ubique victoriae nostrae signum adest. Ob eamque causam illam et in aedibus, et in muris, et in foribus, et in fronte, et in mente cum magno studio de-

pingimus, et insculpimus. Nostrae enim salutis, communisque libertatis et bonitatis Domini nostri hoc signum est. Cum ergo insigniris, tibi in mentem veniat vis omnis, quam in se Crux continet: ac tum denique iram omnesque a ratione aversos animi impetus extinxeris.

℟. Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra: * Per quem salvati et liberati sumus, alleluja.

℣. Tuam Crucem adoramus Domine, et recolimus tuam gloriosam Passionem. Per quem.

Lectio V.

Non enim omnino digito imprimenda, et consignanda est, sed prius voluntate, ac judicio cum magna fide: quia sic in oculis vultuque impressa impurorum scelestorumque daemonum nullus ad te accedere, aut in propinquo stare unquam poterit, cernens gladium, quo vulnus plagamque accepit, vidensque ensem, quo mortem accepit. Si enim nos, cum loca, in quibus damnati secantur, videmus, exhorrescimus: cogita quid eventurum sit diabolo, cum arma videbit, quibus enim potestatemque ejus omnem Christus dissolvit, serpentisque caput amputavit. Hoc etiam signum januas clausas majorum nostrorum nostraque ae-

tate aperuit : hoc noxia mortiferaque venena profligavit, hoc cicutae vim diluit, hoc denique venenatarum bestiarum morsus curavit.

℟. Dum sacrum pignus caelitus revelatur, Christi fides roboratur : * Adsunt prodigia divina in virga Moysi primitus figurata, alleluja, alleluja,

℣. Ad Crucis contactum resurgunt mortui, et Dei magnalia reserantur. Adsunt.

Lectio VI.

Si enim inferorum portas aperuit, et caelorum orbes laxavit, paradisique aditum introitumque restituit, et diaboli nervos fregit; quid mirum videri debet, si mortifera venena, et alia ejusdem generis vincit et superat? Hoc igitur in mente tua insculpe, animorumque nostrorum salutem amplectitur. Crux enim haec orbem terrarum convertit, errorem expuit, veritatem revocavit, terram caelum fecit, homines Angelos reddidit. Hinc daemones non jam horribiles sunt, aut metuendi, sed contemnendi : neque mors est mors, sed somnus. Hac abjecta sunt humi, conculcataque omnia, quae nobis adversantur.

℟. Hoc signum Crucis erit in caelo, cum Dominus ad judicandum venerit : * Tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri, alleluja, alleluja.

℣. Cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, et coeperit judicare saeculum per ignem. Tunc. Gloria Patri. Tunc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 3.

In illo tempore: Erat homo ex Pharisaeis, Nicodemus nomine, princeps Judaeorum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Ex Sermone 55.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis. Unde si affixus serpens ligno filiis Israel contulit sanitatem, quanto magis salutem praestat populis Dominus in patibulo crucifixus? et si figura tantum profuit, quantum prodesse credimus veritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Recte plane, ut, quia primus apud Deum peccaverat diabolus, primus Crucis sententia feriretur. In ligno enim crucifigitur: rationabiliter factum; ut quia homo in paradiso per arborem concupiscentiae deceptus fuerat, nunc

idem per ligni arborem salvaretur : atque eadem materia , quae causa mortis fuerat , esset remedium sanitatis.

℟. Dulce lignum , dulces clavos , dulce pondus sustinuit : * Quae sola digna fuit portare pretium hujus saeculi , alleluja.

℣. Hoc signum Crucis erit in caelo , cum Dominus ad judicandum venerit. Quae sola.

Lectio VIII.

Deinde post serpentem in Salvatore homo ipse crucifigitur ; scilicet , ut post auctorem puniatur et facinus. Per primam Crucem vindicatum est in serpentem ; per secundam in venena serpentis : hoc est , primum auctor ipse punitur , deinde ejus malignitas condemnatur. Virus enim , quod persuasione sua in hominem transfuderat , nunc rejicitur , nunc curatur. Nam cum homo passioni adducitur, non morti traditur , sed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit Dominus per hominem quem suscepit ; ut dum innocens patitur , praevaricationis illius diabolicae in eo inobedientia corrigatur ; et deinceps liber a culpa fieret , ac liber esset a morte. Habentes igitur Dominum Jesum , qui nos passione sua liberavit , in ipsum aspiciamus semper, et de ipsius signo speremus nostris vulneribus medicinam.

℟. Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, * Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam alleluja.

℣. Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ut.

Gloria Patri. Ut omnis.

Pro Ss. Martyribus Gordiano et Epimacho

Lectio IX.

Gordianus judex, cum ad eum Januarius Presbyter, ut contemnaretur, sub Juliano Apostata ductus esset, ab eodem in Christiana Fide instructus, cum uxore, et quinquaginta tribus aliis ex eadem familia Romae baptizatur. Quare Praefectus, relegato Januario, Gordianum a Clementiano Vicario includi jubet in carcerem: qui postea eumdem Gordianum, victum catenis ad se accersitum, cum a Fidei proposito deterrere non posset, plumbatis diu caesum, capite plecti imperat. Cujus corpus ante Apollinis templum canibus objectum, noctu a Christianis via Latina sepelitur in eadem crypta, in quam reliquiae beati Epimachi martyris translatae fuerant ab Alexandria, ubi si diu propter Christi confessionem constrictus in carcere, postremo combustus, martirio coronatus est. Te Deum laudamus.

DIE X. MAJI

In Conventu Tarenti

IN FESTO

S. CATALDI EPISC. ET CONF.

Civitatis Tarentinae, ac totius Dioecesis

PRINCIPALIS PATRONI

Duplex primae Classis (1).

Si hoc Festum celebretur inter tempus Paschale, Off. dic. ritu Pasch. juxta Rubr.

AD VESPERAS.

Ant. Cataldus praesul inclytus, *cum reliquis de Laud.*

Psalm. Dixit Dominus *cum rel. de Dom.*

In fine Psalm. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitul. Ecce Sacerdos magnus.

De comm. Conf. Pont.

(1) Ex noviss. respons. etc.

Hymnus.

Cataldus pudicitiae
Flos, et candoris lilium,
Sanctitatis, et gratiae
Vas, et honor fidelium.
Splendens doctrinae radiis
Virginis domum fabricat;
Radiansque prodigiis
A morte functos revocat.
Factus is vitae speculum
In praesulem eligitur:
Pandit scripturae pabulum,
Christi fides erigitur.
Gaude Tarenti Civitas
Tali ditata corpore;
Cujus mira suavitas
Infirmos firmat robore.
Deo Patri sit gloria.
Ejusque etc.

℣. Amavit eum etc.
℟. Stolam gloriae etc.

Ad Magnificat.

Ant. O virum ineffabilem, quem Salvator alloquitur. O praeconem laudabilem per quem fides istruitur. Hunc Racuensis Ecclesia Pontificem primum suscepit; quem Tarentina patrem amabilem postea complexa est.

Oratio.

Propitiare nobis, quaesumus, Domine, famulis tuis per Beati Cataldi Confessoris tui, atque Pontificis merita gloriosa: ut ejus pia intercessione, ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem confessorum Dominum etc.

Hymn. Iste confessor etc. *de com. Conf. Pont.*

Ant. Cantemus, et psallamus in festivitate Beati Cataldi: qui fructum dedit in tempore suo.

Psalm. Beatus vir etc. *cum reliq. de com. Conf. Pont.*

Ant. Dum hic praeceptum Domini praedicat Ibernis, Christo credunt quam plurimi, signis datis supernis.

Ant. Exaudivit Dominus sanctum suum, dum clamaret ad eum: concedens illi, et ut languores sanaret.

℣. Amavit eum Dominus.

℟. Stolam gloriae.

Lect. I. *noct.* Fidelis sermo *de comm. Conf. Pont.*

I. ℟. Gaude felix Ibernia, de qua proles alma progreditur, quae Tarento ferens praesidia * Bona cuncta sibi consequitur.

℣. Felix Ibernia, sed magis Tarentum: quae claudis in tumulo grande talentum. Bona.

II. ℟. Sancte Catalde confessor. Christi, audi precantes servulos * Et impetratam nobis coelitus tu defer indulgentiam.

℣. O Sancte Catalde vas aureum Domini, servorum tuorum gemitus solita suscipe clementia. Et impetratam.

III. ℟. Beatus Cataldus gloriosus miraculis, pius in auxiliis, et in Dei ministerio * Fidelis extitit, Ecclesiae Tarentinae dispensator.

℣. Humilis habitu, pius affectu, hilaris vultu. Fidelis extitit etc. Gloria Patri, et Filio etc. Fidelis etc.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Mirificavit Dominus sanctum suum et exaudivit eum clamantem ad se.

Ant. Gloriabuntur omnes, qui diligunt nomen tuum, Domine, quoniam tu benedixisti justo.

Ant. Sanctum tuum, Domine, gloria coronasti: quem in confessorum ordine tam sublimiter collocasti.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi.

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Lectio IV.

Cataldus Ibernus oppido Mononiae Catando, honestis parentibus natus, ab infantia Dei prae-

ventus benedictione, sanctitatis indicia praebuit. Adolescens liberalibus disciplinis eruditus, ad eam brevi doctrinae excellentiam pervenit; ut ad ipsum audiendum Galli, Angli, Scoti, Theutones aliique finitimarum illarum regionum quam plurimi Lesmoriam convenirent. Sed cum scientiarum omnium notitiam, nisi sincero cordis affectu, puroque mentis intuitu, ac pietate in Deum fulciretur, inanem esse duceret, totam se ad Christi cultum, et imitationem convertit. Qua in exercitatione tantum profecit, ut brevi et Christianis virtutibus clarere, et miraculis coruscare coepisset. Is enim cum in honorem Beatae Mariae, summa erga Dei Matrem devotione affectus, Ecclesiam fabricare faceret; puerum, qui in ea aedificatione confractus expiraverat, manu sublevavit, et patri vivum, integrumque restituit. Cujus miraculi fama permotus miles, cui et filius mortuus fuerat, eum quoque ad virum sanctum (qui tunc forte in imo erat fundamenti Ecclesiae, quod fodiebatur) detulit. Cum Cataldus: Numquid Deus ego sum, inquit, qui possim mortuos vivificare? Cumque ille perseverans feretrum prope fossam fundamenti posuisset, dum Sanctus terram e fundamento projicit, pulvere cadaver aspersum statim revixit. Quamobrem miles illico regem adit, eique tantum miraculum nunciat. Qui cum magicis artibus illud tribueret, Cataldum

comprehendi, e catenis vinctum in carcerem trudi jubet.

℟. Hic est Cataldus electus Dei Pontifex: cui Dominus tantam gratiam conferre dignatus est. * Ut in virtute fidei Christianae mereretur fieri multorum mortuorum mirificus resuscitator.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Ut in virtute.

Lectio V.

At noctu duo Angeli per visum Regi astiterunt; unus ei mortem propter Cataldum vinctum minitans, alter veniam promittens si Ducatum Meltrìdis Ducis tunc mortui Cataldo donet. Expergefactus Rex, dum uxori visum narrat, nuncius mortis Meltrìdis advenit. Rei eventu territus Rex Cataldum illico solvi, et ad se perduci imperat. Cumque veniam ab eo petiisset, eum rogat, ut Episcopatum Rachau accipiat, cui et Ducatum Meltrìdis donat. Itaque Ducatum sanctus Cataldus in duodecim Episcopatus distribuens, de suo Episcopio Archiepiscopatum fecit. Cumque universam Rachau Provinciam sua praedicatione ad Christi fidem perduxisset Hierosolimam, ut gloriosum Domini sepulchrum inviseret, profectus est. Ibi viso Domini sepulchro, et incunabulis, ac sanctis locis perlustratis, cum

reversionem pararet, in somnis admonitus est, ut Tarentum ubi Petrus Apostolus, et ejus discipulus Marcus primum Christi fidem praedicaverant, proficisceretur. Divino igitur jussui assentiens navim conscendit. In qua navigatione nautae extincto, qui alte ceciderat, vitam restituit: et maximam tempestatem, quam antea praedixerat, oratione sedavit. Tarentum cum pervenisset, puellae mutae in villa Fellini loquelam, auditumque reddidit. Cumque Tarenti in Porta caecus ei a nativitate occurrisset, Beatus Cataldus illum cujus nam religionis essent illius urbis inculae, interrogat. Cui respondit caecus, patres nostri olim Christiani erant, nunc pauci sunt, qui Christi fidem teneant. Et Sanctus Cataldus, tu fili (inquit) christianus ne es, an paganus? At ille. Numquam me aliquis, here, Christi fidem docuit. Cui Sanctus Cataldus: Si toto corde credis in Deum Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, et eo nomine baptizatus fueris, accipies illico corporis, et animae claritatem. Respondit caecus; Credo, Domine: festina me baptizare. Et Beatus Cataldus, accepta aqua, eum baptizavit. Qui statim visum racaepit. Is cum homines vidisset, compellare eos coepit. Venite (inquiens) et videte hominem, qui sacro baptismate lumen mihi praestitit oculorum. Quo cum plurimi convenissent, Beatus Cataldus ordine coe-

pit illis Christi fidem explicare, quam olim Petrus Apostolorum Princeps, et Marcus ejus discipulus in eadem urbe praedicaverant. Et cum hominum multitudo in dies ex finitimis civitatibus Tarentum ad Sanctum Cataldum veniret, ejus doctrina, et miraculis permoti quam plurimi baptismi sacramentum susceperunt.

℟. Oritana privata lumine, Sanctum precans singultu flebili, levem ictum sentit in capite; et mox oculorum pulsa caligine. * Visum illa recipit modo mirabili.

℣. Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat caecos, Dominus erigit elisos. Visum illa recipit.

Lectio VI.

Itaque brevi Sanctus Episcopus eam Urbem ad Christi cultum perduxit. Clerum ibi instituit. Presbyteros, Diaconos, et aliorum Ordinum clericos per oppida, et villas ordinavit. In Ecclesia assiduus erat. Viduis, pupillis, oppressis, et miseris omnibus, ope, consilio, non deerat: cum tamen propterea a praedicatione verbi Dei, et oratione nunquam cessaret; seque totum omni solicitudine, et charitate curae pastorali impenderet. Igitur cum diu illi Ecclesiae praefuisset, et aliquando, infirmitate correptus, sui corporis dissolutio-

nem imminere cognosceret; convocatis clericis, aliisque probatis viris, sic eos allocutus est. Scitis, Fratres charissimi, me non fortuito ad hanc Urbem applicuisse, sed cum essem Hierosolymis, dignatus me est Dominus meus Jesus Christus alloqui et in mandatis mihi dare; ut ad hanc Urbem, ubi Apostolus ejus Petrus, una cum Marco ejus discipulo fidei fundamenta jecerat, me conferrem. Parui mandatis. Veni in hanc Urbem; pristinam Apostoli fidem jam abolitam, Domino cooperante, restitui. Non cessavi Christianis praeceptis vos imbuere, et sancta conversatione, forma gregis factus, detinere. Nec quidquam subterfugi, quominus viam Domini demonstrarem vobis. Et nunc scio, quod post mortem meam invadent vos haeretici lupi rapaces, devastantes gregem. Adversus hujusmodi accingite vos: sumentes arma justitiae, et scutum fidei, quod est verbum Dei. Post discessum meum, plebem in fide, quam illos Petrus Apostolus docuit, confirmate, memores laborum et vigiliarum mearum. Diligite alterutrum, et in charitate perfecti estote. Corpusculum meum, cum mortali hac vita functus fuero, in loco sancti Joannis in Galilaea majoris Ecclesiae, Orientem versus, sub terra Christiano more sepelite, futurae illud resurrectioni reservantes. Haec dixit, et sumptis omnibus, quae decedentibus conferri

solent, sacramentis, beata illa anima, carne soluta est octavo idus Martii. Deductoque ad Ecclesiam corpore, magnus eò concursus factus est populi, et omnis generis languidorum, qui omnes tactu sancti corporis curabantur. Celebratis deinde divinis officiis, in loco per ipsum sub terra designato honorifice conditum est, constructo desuper miri operis marmoreo sepulchro. Cum autem Dragonus Archiepiscopus Tarentinus Cathedralem Ecclesiam Tarenti vetustate collabentem, ut novam erigeret, diruisset; quidam opifex fundamentum effodiens, attigit sepulchrum marmoreum, unde mira odoris fragrantia emanabat. Quod cum ille Archiepiscopo denuntiasset; praesul cum clero, et populo àd locum properat, suptoque ligone sepulchrum aperit; ex quo qui aderant suavissimo omnes perfunduntur odore, et sacras cernunt reliquias rubicondiores ebore antiquo; aureamque Crucem, in qua sancti praesulis nomen erat descriptum, inveniunt. Itaque indicitur processio, luminaria deferuntur, et diversi generis concremantur aromata. Sed fragrantia e reliquiis prodiens superabat omnia. Pontifex igitur sacras reliquias collegit: et sepulchro marmoreo inde amoto, decenti loco sub majori Ecclesiae altari collocari fecit, ubi reverenter sanctissimà ossa recondidit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtu-

tes operatus est, ei Tarentina Civitas doctrina ejus repleta est. * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Cataldus Episcopus migravit a saeculo: coelum laetus ingreditur. Ipse intercedat etc. Gloria Patri etc. Ipse intercedat etc.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Hic vivens sine macula nil carnale concupivit idcirco tabernacula coeli laetus adivit.

Ant. Magna est gloria ejus in Christo salutari suo; cujus praeventus gratia meruit exaltari.

Ant. Innocens iste manibus fuit, et sine dolo, quia totis affectibus intentus erat polo.

℣. Tu es Sacerdos in aeternum.

℟. Secundum ordinem Melchisedech.

Lect. 3. *noct. de homil. S. Ilari Ep. in Evang.* Vigilate *de comm. Conf. Pont.*

I. ℟. Cum quaedam mulier diuturnis brachiorum doloribus laboraret; ut ad Beati viri corpus accessit. * Mox salva facta nomen Domini glorificavit.

℣. Lyciana quaedam paupercula, languens morbo frenetico, sancto sepulchro dum fixit oscula. Mox salva.

II. ℟. Ecce sacerdos magnus, qui ab adolescentia sua meruit infirmos curare. * Dedit illi Dominus mortuos suscitare, caecos illuminare, et daemones effugare.

℣. Multi qui spiritus habent immundos,

salutem ad sepulchrum ejus consequuntur. Dedit illi etc. Gloria Patri etc. Dedit illi etc.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Ant. Cataldus, praesul inclytus coelesti dono praeventus, ab infantia placuit Deo, et inventus est justus.

Psal. Dominus regnavit, *cum rel. de Dom.*

Ant. Fultus Christi praesidio scientia excelluit; et conservans legem excelsi, miraculis coruscavit.

Ant. Factus Pontifex crevit in plebem suam; et viso Domini sepulcro Tarentum advenit.

Ant. Reduxit populum ad Christi fidem, et clericos ordinavit qui Domino benediceret in aeternum.

Ant. Migrans e mundo servus fidelis Tarenti sepelitur, qui intravit in gaudium Domini sui.

Capitulum. Ecce sacerdos magnus.

Hymnus.

Pange lingua mirifici
Confessoris praeconium;
Qui nos prece multiplici,
Ducat ad coeli gaudium.
Cataldus, cujus hodie
Recolitur memoria,
Jam revelata facie
Regem cernit in gloria.

Hic mortuos resuscitat
Visum caecis tribuit;
Hic daemones suppeditat
Linguas mutorum acuit.
Quae vox, quae lingua promere
Tot admiranda sufficit?
Nam versu cuncta stringere
Vox inexperta deficit.
Deo Patri sit gloria etc.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.
℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Benedictus.

Ant. Tantus odor ex viri Dei membris egrediebatur; ut ad illa, tanquam ad suavissima aromata, omnis populus accurret Tarentinus.

Oratio ut supra in Vesp.

Ad Horas Capitula et ℟. *br. omnia de comm. Conf. Pont.*

Ad Vesp. antiph. de Laud. Psalm. de comm. C. P. Cap. Ecce Sacerdos magnus.

℣. Justum deduxit *de eodem communi.*

Ad Magnificat.

Ant. Catalde ros et lilium, fons verae sapientiae, mirande flos convallium, implora regem gloriae, ut post praesens exilium, jam revelata facie cernamus Dei filium.

Oratio ut supra.

DIE XVII. MAJI

IN SOLEMNITATE

S. PASCHALIS BAYLON C. O. N. D.

Titularis Nostrae Provinciae

Duplex primae Classis cum Octava (1).

Omnia prop. ut in Brev. Romano-Seraphico.

DIE XX. MAJI

In Conventu Capursii

S. BERNARDINI SENENSIS

Conf. 1. Ord.

Patr. Princ. Loci

Duplex primae Classis sine Octava (2).

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico novissimo.

(1) Indulg. Plenar. perp. concess. ab Alexand. VII.
(2) Idem concess. a Xisto V.

DIE XXI. MAJI

IN FESTO

B. M. V. DIVINI PASTORIS MATRIS

Duplex majus (1).

Si hoc Festum celebretur inter Tempus Paschale, Offic. dicatur ritu Pasch., juxta Rubr. Ad Vesperas Ant. Sonet vox tua *cum reliq. de Laud. Psal. ut in Off. parvo.*

Capitulum. Eccli. 24.

Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

Hymn. Ave maris stella etc.

℟. Dignare me laudare te Virgo sacrata.

℣. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat.

Ant. Sicut Pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit, alleluja.

(1) Indulg. Plenar. perp. concess. a PIO IX.

Oratio.

Deus, qui universum mundum ineffabili providentia regis, atque gubernas, praesta nobis famulis tuis, ut intercedente Beata Maria semper Virgine, quae vigili custodia nos pascit ab hostibus defensi, et fructus tui dulcedine satiati ad coelestem patriam securi perducamur. Per Dominum etc.

In fin. Hymn. Complet. et Horar. dic. Jesu tibi sit gloria, qui natus etc.

AD MATUTINUM

Invitat. Sancta Maria Divini Pastoris Mater * Intercede pro nobis. *Psal.* 94. Venite exultemus etc.

Hymn. Quem terra etc.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, ibi dabo tibi ubera mea.

Psal. ut in Off. parvo.

Ant. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo.

Ant. Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum.

℟. Specie tua, et pulchritudine tua.
℣. Intende, prospere procede, et regna.

Lectio I.

De Parabolis Salomonis, *Cap.* 8. *et* 9.

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum, arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium, et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiae, et gloria, opes superbae, et justitia. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis justitiae ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam.

℟. Sicut vigilavi super eos, ut evellerem, et demolirem, et dissiparem, et disperderem, et affligerem: * Sic vigilabo super eos, ut aedificem, et plantem.

℣. Erraverunt gregis mei in cunctis montibus, et in universo colle excelso. Sic vigilabo.

Lectio II.

Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terrae. Quando praeparabat coelos aderam; quando certa lege, et gyro vallabat abyssos, quando aethera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum, quando circumdabat mari terminum suum, et legem ponebat aquis, ne transirent fines suos, quando appendebat fundamenta terrae. Cum eo eram cuncta componens, et delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, et deliciae meae esse cum filiis hominum. Nunc ergo, filii, audite me, beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, et estote sapientes, et nolite abjicere eam.

℟. Anima mea desideravit te in nocte. * Sed et spiritu meo in praecordiis meis; de mane vigilabo ad te.

℣. Ego dormio, et cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis. Sed et spiritu.

Lectio III.

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad moenia civitatis: si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est: venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.

℟. Sicut visitat Pastor gregem suum in die *, Quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum.

℣. Sic visitabo oves meas, et liberabo eas de omnibus locis in die nubis, et caliginis. Quando fuerit. Gloria Patri. Quando fuerit.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Salvabo gregem meum, et non erit ultra in rapinam.

Ant. Congregabit eum, et custodiet eum, sicut Pastor gregem suum.

Ant. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

℟. Adjuvabit eam Deus vultu suo.
℣. Deus in medio ejus non commovebitur.

Lectio IV.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex serm. in cap. 12. Apoc. ante med.

Amplectamur Mariae vestigia, fratres mei, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem, et aream; mulier inter Solem, et Lunam; Maria inter Christum, et Ecclesiam constituta. Sed forte miraris non tam vellus opertum, quam amictam Sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas Solis, et mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit? Merito quidem admiraris, Moyses Sancte, et curiosius desideras intueri. Verumtamen solve calceamenta de pedibus tuis, et involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis.

℟. Super omnem faciem terrae dispersi sunt greges mei, et non erat qui requireret; * Ecce ego requiram oves meas, et visitabo eas.

℣. Custodivit illas ab inimicis; et a seductoribus tutavit illas. Ecce ego requiram.

Lectio V.

Ejusdem in Assumpt. B. M. V. in fin.

Jam te Mater misericordiae, per ipsum sincerissime tuae mentis affectum, tuis jacens provoluta pedibus Luna, idest Ecclesia, Mediatricem sibi apud Solem justitiae constitutam, devotis supplicationibus interpellat, ut in lumine tuo videat lumen, et Solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam vere amavit, et ornavit, stolam gloriae induens, et coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore coelesti, innixa super Dilectum, deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos, Domina, ipsi quoque catuli de micis edant, nec puero Abrahae tantum, sed et camelis potum tribuas de supereffluenti hydria tua.

℟. Custodivit nos in omni via, per quam ambulavimus * : Et in cunctis populi per quos transivimus.

℣. Posuerunt me custodem in vineis. Et in cunctis.

Lectio VI.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 18. de Sanctis in med.

O Beata Maria, accipe quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares, gratiarum actiones; et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra Sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te, Beatissima, nostrorum est expectatio praemiorum. Accipe insuper obsequium famulorum tuorum, in hac regione degentium, qui in multis, magnisque periculis a te adjuti, in grati animi argumentum, et in memoriam beneficiorum defensionis, et protectionis, a Pio Septimo Pontifice Maximo in tui honorem Festivitatem hanc sub titulo Divini Pastoris Matris consecuti sunt, ut Fideles omnes te Custodem vigilantem, ac coelestia pabula suppeditantem cognoscant, invocent, et revereantur.

℟. Sub umbra illius, quem desideraveram sedi: * Et fructus ejus dulcis gutturi meo.

℣. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Et fructus. Gloria Patri. Et fructus.

IN III. NOCTURNO

Ant. Favus distillans labia tua; mel, et lac sub lingua tua.

Ant. Egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce haedos tuos.

Ant. Rigabo hortum meum plantationum; et inebriabo prati mei fructum.

℟. Elegit eam Deus, et praeelegit eam.

℣. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19.

In illo tempore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et Soror Matris ejus Maria Cleophae, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia Beati Petri Damiani.

Ex Serm. I. Nat. B. M. V. in fin.

Virgo Dei Genitrix, cujus pulchritudinem Sol, et Luna mirantur, subveni, Domina,

clamantibus ad te jugiter : revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te. Tu benedicta, et superbenedicta, revertere primo per naturam. Numquid quia ita deificata, ideo nostrae humanitatis oblita es? Nequaquam, Domina: scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi jaceant, quantum delinquant servi tui : non enim convenit tantae misericordiae, tantam miseriam oblivisci, quia etsi subtrahit gloria, revocat natura : non enim ita memoraris justitiae Dei solius, ut misericordiam non habeas : neque ita es impassibilis, ut non sis compassibilis. Naturam nostram habes, non aliam, et justum est, ut de rore tantae pietatis diffusius infundamur.

℟. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia: * Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae.

℣. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus: Donec.

Lectio VIII.

Revertere secundo per potentiam. Fecit in te magna qui potens est; et data est tibi omnis potestas in coelo, et in terra. Nil tibi impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas tuae potentiae poterit obviare, quae

de carne tua carnis suscepit originem? Accedis enim ante illum aureum humanae reconciliationis Altare non solum rogans, sed imperans, Domina, non ancilla. Moveat te natura, potentia moveat; quia quanto potentior, tanto misericordior esse debes. Potestati enim cedit ad gloriam, injurias ulcisci nolle, cum possit. Revertere tertio per amorem. Scio, Domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quos in te, et per te Filius tuus, et Deus tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties refrigeres iram Judicis, cum justitiae virtus a praesentia Deitatis egreditur?

℟. Congregabo oves de terris, et inducam eas in terram suam. * Et pascam eas in montibus Israel: * In rivis, et in cunctis sedibus terrae.

℣. Ego pascam oves meas, et ego eas accubare faciam. Et pascam. Gloria Patri. In rivis.

Lectio IX.

Revertere quarto per singularitatem. In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, et sola electa es, cui gratia conceditur. Absit, ut cesset manus tua, cum occasionem quaeras salvandi miseros, et misericordiam effundendi; neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cum poenitentes ad veniam justificati, ad gloriam assumuntur. Revertere

ergo Sunamitis, idest, despecta, cujus animam pertransivit gladius, quae fabri uxor appellata fuisti. Ad quid? Ut intueamur te. Summa gloria est post Deum te videre, adhaerere tibi, et in tuae protectionis munimine demorari. Audi nos, nam et Filius nihil negans honorat te, qui est Deus benedictus in saecula saeculorum.

Te Deum etc.

Si vero hoc festum transferri contigerit in diem 9. *lect. hom.*, *vel alicujus S. simpl. habentem*, *tunc ex* 8. *et* 9. *lect. fiat una.*

AD LAUDES ET PER HORAS.

Ant. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

Psal. Dominus regnavit *cum reliq. de Dom.*

Ant. Dilectus meus descendit in hortum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat.

Ant. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

Ant. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.

Ant. In portis nostris omnia poma nova, et vetera, dilecte mi, servavi tibi.

Capit. Ab initio, *ut supra.*

Hymn. O Gloriosa Virginum etc.

℣. Pulchra es, et decora filia Jerusalem,

℟. Terribilis ut castrorum acies ordinata.

Ad Benedictus.

Ant. Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

Oratio.

Deus, qui universum mundum ineffabili providentia regis, atque gubernas, praesta nobis famulis tuis, ut intercedente Beata Maria semper Virgine, quae vigili custodia nos pascit ab hostibus defensi, et fructus tui dulcedine satiati ad coelestem patriam securi perducamur. Per Dominum etc.

Ad Horas, Capitula, et ℟. *br. ut in Off. S. Maria ad nives.*

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

℣. Per te salutem hauriamus, Virgo Maria.
℟. Ex caritate, et passione Christi Filii tui.

Ad Magnificat.

Ant. Cum vidisset ergo Jesus, Matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suae: Mulier ecce Filius tuus. Deinde dicit discipulo: ecce Mater tua, et ex illa hora accepit eam discipulus in sua, alleluja.

Oratio ut supra.

DIE XXIV. MAJI

Octava

S. PASCHALIS BAYLON C. O. N. D.

Titularis Nostrae Provinciae

Duplex minus.

Omnia ut in die Festo, praeter Lect. 2. et 3. noct. In 1. noct. Lect. de *Script. occurr.* Si vero hodie occurrat feria 2., vel 4. Rog. Lect. 1. noct. erunt, ut in ejus die Festo.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Quem adhuc in exilio degentem tot, tantisque charismatibus ditaverat Deus, semper mirabilis in servis suis, eum frequentioribus, et illustrioribus prodigiis clarificare non omisit jam coronatum in Patria. Ut igitur Beati Paschalis obitum fama vulgavit, ad illius venerationem mira undique populorum multitudo confluxit, cujus pietati triduana sacri cadaveris expositione satisfieri vix potuit. Eo tempore ex illius vultu et collo salutaris quidam liquor defluere coepit, quo aliqui perliniti, ab inveteratis ulceribus, et insanabilibus tumo-

ribus illico convaluerunt. Quibusdam venerabiles exuvias deosculantibus, ita repente attracta membra suo robori ac usui reddita sunt, ut numquam laesa viderentur, quibus antea nulla profuerant remedia. Quin et mulier sexagenaria, cum ex alto delapsa, talem passa fuisset ossis sacri fracturam, et alterius ossis in femore luxationem, ut neque genua flectere, neque sine fulcimentis incedere valeret post quinquennium, adhuc insepulti servi Dei manum osculata, statim os fractum consolidari, luxatumque sensit reponi, ac sine impedimento expedite ambulavit.

℟. Paschalis etc.

Lectio V.

Septennis puer ab infantia surdus, et ita coecus, ut ei, ne ipsa quidem pupillarum vestigia superessent, emisso per afflictam matrem voto sepulchrum Beati Paschalis adeundi, perfectam utriusque sensus facultatem extemplo recuperavit, ac jugiter exinde retinuit. Nec minus alteri profuit consimile uxoris votum, qui cum extrema unctione delibutus jam ageret animam, et corruptis prae morbi malignitate visceribus, teterrimum exalaret faetorem, continuo surrexit incolumis, atque ad Liberatoris sui sepulchrum parata funeri deferens, conceptum votum uxore comite persolvit. Ea-

dem celeritate recepit. alius indicem sinistrae manus, quem ictu securis prope abscissum, et vix particulae cutis adhaerentem, statim consolidatis ossibus et nervis incolumen meruit intueri. Ipsa poenitentiae instrumenta, quae Beati Viri cruciatibus inservierant, ejus clientibus salutaria fuere: nam cum paralytica mulier in dimidia sui parte langueret exanimis, brachio et crure pendentibus, manu attracta, digitis immobiliter aduncis, et carne lateris ejusdem usque adeo consumpta, ut sanguine carens solam et siccam pellem ossibus super inductam haberet, implorata Paschalis ope, et admota laesis membris catena, qua Sanctus in vita praecingebatur, eodem momento sensum, et motum, et robur, et vitam redire sensit, et obstupuit.

℟. Elegi abiectus etc.

Lectio VI.

Bruta quoque et inanimes creaturae Servi Dei beneficientiam sunt expertae, cum pius agrigola sterilissimae regionis ariditatem miseratus, invocato Sancti nomine, perennis, et numquam vel excrescentis, vel deficientis aquae fontem ad primum ligonis ictum exilire obtinuit, quo et illa terrae facies mirifice recreata, et armentorum siti opportune consultum fuit. Sed inter omnia, quae supra naturae vi-

res ad Beati Paschalis intercessionem et honorem operatus est Deus, illud in primis illustre et plurimorum voce scriptisque celebratum habetur, quod ex arca, in qua venerabile corpus ejus requiescit, miraculosi pulsus frequenter audiuntur; qui si placide suaviterque sonant, felices eventus praenuntiare noscuntur; sin autem strepitu personant graviori, infortunia futura portendunt. Accidit hoc saepe in magna populi frequentia, et coram summae auctoritatis Principibus, Praelatisque. Quodque omnem superat admirationem, idem aliquando miraculum ipsae Beati Confessoris cartaceae imagines praestiterunt. Ita mortalium bono solicitus vigilat Paschalis, ut non solum prospera nobis orando consequi studeat, et adversa depellere, sed eorum etiam vel anticipare laetitiam, vel incommodum imminuere praesagiis, monitisque dignetur.

℟. Dominus regit me etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Cap. 2.

Lectio VII.

In illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine Coeli et terrae,

quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.
Com. in Matth.

Coelestium enim verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, et parvulis revelantur. Parvulis malitia, non sensu: sapientibus vero stultitiae suae praesumptione, non prudentiae causis. Factique hujus aequitatem Dominus paternae voluntatis judicio confirmat, ut qui dedignantur parvuli in Deum fieri, stulti deinde in sapientia sua fiant. Ac ne quid in illo minus quam quod in Deo est, existimaretur: Omnia sibi a Patre, ait, tradita esse, solique se Patri cognitum, Patremque soli sibi notum, vel cui ipse revelare voluisset: revelaturus ei, a quo ut revelare velit, oretur.

℟. Elegit Dominus etc.

Lectio VIII.

Qua revelatione eamdem utriusque in mutua cognitione esse substantiam docet, cum qui Filium cognosceret, Patrem quoque cogniturus esset in Filio, quia omnia ei a Patre sint tradita; tradita autem non alia sunt, quam quae in Filio soli nota sunt Patri: nota vero Filio soli esse, quae Patris sunt, atque ita in hoc

mutae cognitionis secreto intelligitur, non aliud in Filio quam quod in Patre ignorabile sit, extitisse.

℟. Benedicam etc.

Lectio IX.

Legis deinde difficultatibus laborantes, et peccatis saeculi oneratos ad se advocat; dempturumque se laborem, onusque promittit, si modo ejus jugum tollant, mandatorum scilicet suorum praecepta suscipiant; eumque Sacramento Crucis adeant, quia corde humilis et mitis sit, et in his animabus suis requiem inveniant: jugi suavis, et levis oneris blandimenta proponens, ut credentibus ejus boni scientiam praestet, quod solus ipse novit in Patre. Et quid jugo ipsius suavius? quid onere levius? Probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, aeterna consequi, praesentibus non capi, nolle inferre alteri, quod ipsi sibi perpeti sit molestum.

Te Deum laudamus.

DIE XXX. MAJI

IN FESTO

S. FERDINANDI TERTII

Castellae et Legionis Regis dup. min. Omn. de com. Conf. non Pont. praeter seq.

Oratio.

Deus, qui Beato Confessori tuo Ferdinando praeliari praelia tua, et Fidei inimicos superare dedisti, concede, ut ejus nos intercessione muniti, ab hostibus mentis, et corporis liberemur. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ferdinandus Tertius, Castellae et Legionis Rex, cui Sancti cognomentum jam inde a quatuor saeculis Ecclesiasticorum et Saecularium consensus dedere, tantum prudentiae

adolescens adhuc specimen praebuit, ut Berengaria mater Castellae Regina, a qua persancte educatus fuerat, abdicatum a se regnum in filium transtulerit. In eo, adjunctis regni curis regiae virtutes emicuere, magnanimitas, clementia, justitia, et prae ceteris Catholicae Fidei zelus, ejusque religiosi cultus tuendi, ac propagandi ardens studium. Id praestitit in primis haereticos insectando, quos nullibi regnorum suorum consistere passus, propriis ipse manibus ligna comburendis damnatis ad rogum advehebat. Praestitit insuper in erigendis, dotandis, et consecrandis Christiano ritu Cordubensi, Giennensi, Hispalensi, et aliarum urbium Ecclesiis, ex Maurico ereptarum jugo, simulque in instaurandis primariis templis Toletano, Burgensi et aliis, pia et regia munificentia.

℟. Honestum.

Lectio V.

Inter haec, per Castellae, et Legionis regnum, in quo patri Alphonso successerat, collectis magnis exercitibus, annuas expeditiones contra Saracenos, Christiani nominis hostes, suscepit. In queis, ut semper vinceret, praecipui exercitus fuere preces piissimi Regis ad Deum fusae, et quod ante pugnam, ut sibi Deum propitiaret, flagris in

se saeviebat; atque aspero cilicio muniebat corpus: sicque insignes contra ingentes Maurorum acies victorias reportavit, et plures urbes Christiano cultui imperioque restituit: et conquisitis Giennii, Cordubae, et Murtiae regnis, ac Granatensi vectigali facto, ad expugnandam Hispalim, primariam Boeticae urbem hortante in visione (ut traditum est) Beato Isidoro, olim illius urbis Episcopo, victricia signa transtulit. In ea obsidione (ut fertur) praesentem Divinam opem habuit; nam ferream catenam, quae super Boetim transversim extensa, Mahometanis pro repagulo erat, coorto validiori vento, una ex navibus regiis, Regis jussu eo delata, tanto impetu fregit, ut longius praetervecta, pontem quoque ligneum, et simul spem Maurorum obruperit, et ad deditionem coegerit.

℟. Amavit.

Lectio VI.

Tot victorias Beatae Virginis Mariae patrocinio ferebat acceptas, cujus Imaginem secum in castris habens peculiari cultu prosequebatur. Capta Hispali, prima Religionis cura fuit; nam Templum Maurorum expiatum, et Christianorum dedicatum sacris, insigni Archiepiscopatu, et honestissimo Canonicorum et Dignitatum Collegio, regia et religiosa li-

beralitate exornavit. Alia deinde in urbe Templa, et Coenobia erexit: inter quae pietatis officia, dum trajicere in Africam parat, Mahomethanum in ea imperium eversurus, ad coelestem regiam vocatur. In extremo vitae agone sacram Eucharistiam pro Viatico allatam, fune ad collum alligato, et humi stratus, cum lacrymis ubertim fusis adorans, eaque dignis reverentiae, humilitatis, et Catholicae Fidei obtestationibus accepta, obdormivit in Domino. Jacet ejus corpus incorruptum adhuc post quatuor saeculo, in templo maximo Hispalensi, honorificentissimo inclusum sepulchro.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Homil. Venerabilis Bedae Presbyteri. In Evang. Nolite timere pusillus grex. *De communi 2. loco.*

DIE XXXI. MAJI

B. JOANNIS DE PRADO M. O. N. D.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico die 24. Maji, et fit Com. S. Petronillae Virg. etc.

FERIA VI.

POST OCTAVAM SS. CORPORIS CHRISTI

OFFICIUM

SS. CORDIS D. N. JESU CHRISTI

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico.

JUNIUS.

DIE VII. JUNII

IN FESTO

B. M. V. TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

Omnia, ut in Officio parvo B. M. V. praeter ea, quae sequuntur.

AD VESPERAS, ET MATUTINUM.

Hymnus.

Saepe dum Christi populus cruentis
Hostis infensi premeretur armis,
Venit adjutrix pia Virgo coelo
Lapsa sereno.
Prisca sic Patrum monumenta narrant,
Templa testantur spoliis opimis.
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotannis.

En novi grates liceat Mariae
Cantici laetis modulis referre
Pro novis donis, resonante plausu
Urbis, et Orbis.
O! dies felix, memoranda fastis,
Qua Petri Sedes Fidei Magistrum
Triste post lustrum reducem beata
Sorte recepit.
Virgines castae, puerique puri,
Gestiens clerus, populusque grato
Corde Reginae celebrare coeli
Munera certent.
Virginum Virgo, benedicta Jesu
Mater, haec auge bona; fac, precamur,
Ut Gregem Pastor Pius ad salutis
Pascua ducat.
Te per aeternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguae
Carmine laudent. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat.

Ant. Ecce Maria erat spes nostra, ad quam confugimus in auxilium, ut liberaret nos; et venit in adjutorium nobis.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui ad defensionem Populi Christiani in Beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti: concede propitius, ut tali praesidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

In fine Hymn. Compl. et horar. diei sequ. dicit. Jesu . . . . Qui natus es de Virgine.

AD MATUTINUM.

Invit. Sancta Maria Dei Genitrix Virgo, * Intercede pro nobis

Hymn. Saepe, dum Christi *etc. ut in Vesp.*

Ant. Psalm. et ℣℣. *Nocturnor. ut in Off. parv. B. M. V. Lect.* 1. *Noct. cum* ℟℟. *ut in Fest. ad Niv. die* 5. *August.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de 12. *Stellis.*

Lectio IV.

Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir unus, et mulier una nocuere: sed gratias

Deo per unum nihilominus virum, et mulierem unam, omnia restaurantur, nec sine magno foenore gratiarum. Et quidem sufficere poterat Christus: siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostrae reparationi sexus uterque. Jam itaque nec ipsa Mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem Christum: nec alter nobis utilior, quam Maria. Crudelis nimium mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quae salutis antidotum, et viris, et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis, haec propitiationis: Illa suggessit praevaricationem, haec ingessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile; tota suavis est, omnibus offerens lac, et lanam. Revolve diligentius Evangelicae historiae seriem universam; et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel levis indignationis occurrerit in Maria, de caetero suspectam habeas, et accedere verearis.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion; quasi myrrha electa, * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi suavitatem odoris.

Lectio V.

Quod si, ut vere sunt, plena magis omnia pietatis, et gratiae, plena mansuetudinis, et misericordiae, quae ad eam pertinent, inveneris, age gratias ei, qui talem mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus, et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit. Omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus laetitiam. Ipsa praeterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam praebet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Ipsa est quondam a Deo promissa mulier serpentis antiqui caput virtutis pede contritura; cujus plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est, sed sine causa. Sola enim contrivit universam haereticam pravitatem. Contriti sunt insidiantes, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Jam si Ecclesia Lunae intelligenda videtur vocabulo, habes

mediatricem evidenter expressam : Mulier, inquit, amicta sole, et luna sub pedibus ejus. Amplectamur Mariae vestigia, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis : potens est enim.

℟. Quae est ista, quae processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Ex publicis Monumentis.

Lectio VI.

Praesentissimum Deiparae auxilium ad Religionis hostes profligandos saepe Populus Christianus mirum in modum expertus est : ex quo factum, ut Sanctissimus Pontifex Pius Quintus post insignem victoriam, intercedente Beatissima Virgine, a Christianis de Turcarum Tyranno apud Echinadas Insulas reportatam, in Litaniis Lauretanis eamdem Reginam Coelorum inter alia praeconia Auxilium Christianorum appellari constituerit. Sed illud in primis memorabile est, atque explorati miraculi loco habendum, quod cum Romanus Pontifex Pius Septimus impiorum consiliis, et armis ex

Apostolica Petri Sede exturbatus, et arcta custodia, praesertim Savonae, per annos quinque, eoque amplius fuisset detentus, viis omnibus penitus interclusis, ne Dei Ecclesiam regere posset, nullo similis persecutionis in priscis annalibus exemplo, inopinato, et praeter omnium expectationem contigit, ut ingenti plausu, ac veluti universi orbis manibus Pontificio Solio restitueretur. Quod et secundo accidit, dum iterum commoto turbine, ab Urbe discedens, Sacro comitante Cardinalium Collegio, Liguriam contendit. Verum praesentissimo Dei beneficio, cessante procella, quae grave minabatur excidium, Romam, plaudentibus prae novo gaudio Populis, reversus est. Antea tamen, quod in votis habuerat, et captivitate detentus exequi nequiverat, aurea Corona insignem Savonae Imaginem Deiparae Virginis sub titulo Matris Misericordiae solemni ritu, propriisque manibus decoravit. Quam mirabilem rerum vicissitudinem idem Pontifex Maximus Pius Septimus totius eventus intime conscius, cum intercessione SS. Dei Genitricis, cujus potentem opem, et ipse impense imploraverat, et ab omnibus Christi fidelibus implorari curaverat, acceptam merito referret, in ejusdem Virginis Matris honorem sub appellatione Auxilii Christianorum solemne festum indixit perpetuo celebrandum die mensis Maji vigesimo quarto, faustissimi sui in Ur-

bem reditus anniversario, approbato etiam Officio proprio, ut tanti beneficii distincta, et perennis extet memoria, et gratiarum actio.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiae Sion beatissimam praedicaverunt dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 11.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas: extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

In Nativitate B. M. V.

Intuere, o Homo, consilium Dei; agnosce consilium sapientiae, consilium pietatis. Coelesti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, prae-

tium universum contulit in Mariam. Altius ergo intuemini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quae ascendit deliciis affluens. Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Felix namque es, Sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum javamen, quicumque tuum sanctum implorant auxilium. Quia.

Lectio VIII.

In omnibus siquidem, et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere; solo auditu territus, ad folia fugiebas: Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat?

Exaudietur utique pro reverentia sua: Pater enim diligit Filium. Sed forsitan et in ipso Majestatem vereare Divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed pura singularitate naturae. Nec dubius dixerim: exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi magna, qui potens est; et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio IX.

Filioli, haec peccatorum scala, haec mea maxima fiducia est, haec tota ratio spei meae. Quid enim? Potest ne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam? Non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, gratiam apud Deum; feliciter. Semper haec inveniet gratiam; et sola est gratia, qua egemus: nimirum sola est gratia, qua salvamur. Quid nos alia concupiscimus, Fratres? Quaeramus gratiam, et per

Mariam quaeramus, quia, quod quaerit, invenit, et frustrari non potest. Quaeramus gratiam, sed gratiam apud Deum: nam apud homines gratia fallax. Quaerant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? Non gratiae est, quod hic sumus? Profecto misericordiae Domini est, quod non sumus consumpti nos.

Te Deum.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Ant. Dum esset Rex *etc. ut in Offic. B. M. V. in Sabb. Psalm.* Dominus regnavit *etc. cum reliq. de Dom. Capit.* Ab initio *etc.*

Hymnus.

Te Redemptoris, Dominique Nostri
Dicimus Matrem, speciosa Virgo,
Christianorum decus, et levamen
Rebus in arctis.
Saeviant portae licet inferorum,
Hostis antiquus fremat, et minaces,
Ut Deo sacrum populetur agmen,
Suscitet iras.
Nil truces possunt furiae nocere
Mentibus castis, prece quas vocata
Annuens Virgo favet, et superno
Robore firmat.

Tanta si nobis faveat Patrona,
Bellici cessat sceleris tumultus,
Mille sternuntur, fugiuntve turmae
Mille cohortes.
Tollit ut sancta caput in Sione
Turris, arx firmo fabricata muro,
Civitas David, clypeis, et acri
Milite tuta.
Virgo sic fortis Domini potenti
Dextera, coeli cumulata donis,
A piis longe famulis repellit
Daemonis ictus.
Te per aeternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguae
Carmine laudent. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.
℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ad Benedictus.

Ant. Ad Te, o Sancta Dei Genitrix, clamavimus, et per te venit Domini auxilium vobis.

Oratio. Omnipotens *etc. ut supra.*

In ℟. *brev. ad Prim. dicit.* Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Hor. Ant. Capit. et ℣℣. *ut in Off. B. M. in Sabb. praeter Orat. prop. ut supra.*

IN II. VESPERIS.

Omnia dicunt. ut in primis, praeter Ant. ad Magnif.

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque sanctum tuum implorant auxilium.

DIE XXIX. JUNII

IN COMMEMORATIONE

OMN. Ss. APOSTOLOR. ET Ss. MARTYR.

In 1. Vesp. Post Orationem diei.

Pro omn. Ss. Apost.

Ant. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, et omnium Sanctorum Apostolorum tuorum tuere praesidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis.

Pro omn. Ss. Mm.

Ant. Isti sunt Sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam.

℣. Justi epulentur, et exultent in conspectu Dei.

℟. Et delectentur in laetitia.

Oratio.

Deus, qui glorificaris in concilio Sanctorum Martyrum tuorum, respice ad preces humilitatis nostrae: ut quorum solemnia celebramus, eorum precibus adjuvari mereamur. Per Dominum etc.

AD LAUDES.

Pro omn. Ss. Apost.

Ant. Vos, qui sequuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel.

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.
℟. Et in fines orbis terrae verba eorum.
Oratio. Exaudi etc. *ut supra*.

Pro omn. Ss. Mm.

Ant. Sancti tui, Domine, semper benedicant te, et gloriam Regni tui dicant.
℣. Mirabilis Deus in Sanctis suis.
℟. In Sanctis ejus laudate Deum.
Oratio Deus etc. *ut supra*.

IN II. VESPERIS.

Pro omn. Ss. Apost.

Ant. Vos amici mei estis, si feceritis, quae ego praecipio vobis, dicit Dominus.
℣. Gloriosus in Sanctis suis faciens mirabilia.
℟. Hic Deus meus, et glorificabo eum.
Oratio Exaudi etc. *ut supra*.

Pro omn. Ss. Mm.

Ant. Dico autem vobis amicis meis, ne timeatis ab iis, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.
℣. Justi autem in perpetuum vivent.
℟. Et apud Dominum est merces eorum.
Oratio. Deus etc. *ut supra*.

JULIUS.

DOMINICA I. JULII

IN FESTO

PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C.

Duplex 2. classis.

IN I. VESPERIS.

Ant. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua.

Psalmi, ut in Dominica, et loco ultimi, Ps. Laudate Dominum omnes gentes *etc.*

Ant. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Ant. Vestitus erat veste aspersa Sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei.

Ant. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?

Ant. Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.

Capitulum Hebr. 9.

Fratres: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, et perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.

Hymnus.

Festivis resonent compita vocibus:
Cives laetitiam frontibus explicent:
Taedis flammiferis ordine prodeant
Instructi pueri, et senes.
Quem dura moriens Christus in arbore
Fudit multiplici vulnere Sanguinem,
Nos facti memores, dum colimus, decet
Saltem fundere lachrymas.
Humano generi pernicies gravis
Adami veteris crimine contigit:
Adami integritas, et pietas novi
Vitam reddidit omnibus.
Clamorem validum Summus ab Æthero
Languentis Geniti si Pater audit,
Placari potius Sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.
Hoc quicumque stolam Sanguine proluit,
Abstergit maculas, et roseum decus,
Quo fiat similis protinus Angelis,
Et Regi placeat, capit.

A recto instabilis tramite postmodum
 Se nullus retrahat, meta sed ultima
 Tangatur; tribuet nobile praemium,
  Qui cursum Deus adjuvat.
Nobis propitius sis Genitor potens,
 Ut quos Unigeniti Sanguine Filii
 Emisti, et placido Flamine recreas,
  Coeli ad culmina transferas. Amen.

℣. Redemisti nos, Domine, in Sanguine tuo.

℞. Et fecisti nos Deo nostro Regnum.

Ad Magnificat.

Ant. Accessisti ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et testamenti novi mediatorem Jesum, et Sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum Mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti: concede, quaesumus, salutis nostrae praetium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum Dei Filium, qui suo nos redémit Sanguine, * Venite adoremus.
Psal. Venite, exultemus.

Hymnus.

Ira justa Conditoris
Imbre aquarum vindice
Criminosum mersit orbem,
Noe in Arca sospite;
Mira tandem vis amoris,
Lavit orbem Sanguine.
Tam salubri terra felix
Irrigata pluvia,
Ante spinis quae scatebat,
Germinavit flosculos;
Inque nectaris saporem
Transiere absynthia.
Triste protinus venenum
Dirus anguis posuit,
Et cruenta belluarum
Desiit ferocia:
Mitis Agni vulnerati
Haec fuit victoria.
O scientiae supernae,
Altitudo impervia!
O suavitas benigni
Praedicanda pectoris!
Servus erat morte dignus,
Rex luit poenam optimus.

Quando culpis provocamus
Ultionem Judicis,
Tunc loquentis protegamur
Sanguinis praesentia,
Ingruentium malorum
Tunc recedant agmina.
Te redemptus laudet orbis
Grata servans munera,
O salutis sempiterne
Dux, et auctor inclyte,
Qui tenes beata regna
Cum Parente, et Spiritu. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

Psalmus 2.

Quare fremuerunt gentes, * et populi meditati sunt inania?

Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum * adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum, * et projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in coelis, irridebit eos, * et Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me: * Filius meus es tu: ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, Reges, intelligite: * erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore, * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, * beati omnes, qui confidunt in eo.

Ant. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

Ant. Factus in agonia, prolixius orabat: et factus est sudor ejus sicut guttae Sanguinis decurrentis in terram.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Domine, susceptor meus es, * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: * Exurge, Domine, salvum me fac, Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Ant. Factus in agonia, prolixius orabat: et factus est sudor ejus sicut guttae Sanguinis decurrentis in terram.

Ant. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi tradens Sanguinem justum.

Psalmus 15.

Conserva me, Domine, quoniam speravi in te. * Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in praeclaris: * etenim haereditas mea praeclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper, et usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: * quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: * nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitae: adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextera tua usque in finem.

Ant. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi tradens Sanguinem justum.

℣. Redemisti nos, Domine.
℟. In sanguine tuo.

Lectio I.

De Epistola Beati Pauli Apostoli ad Hebraeos. *Capit.* 9.

Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, et perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, aeternae haereditatis.

℟. Jesus, ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est: * Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.

℣. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes. Exeamus igitur.

Lectio II.

Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic Sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur: et sine Sanguinis effusione non fit remissio.

℟. Moyses sumptum sanguinem respersit in populum; * Et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum.

℣. Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusionem, ne, qui vastabat primitiva, tangeret eos. Et ait.

Lectio III. Cap. 10.

Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in Sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, idest, Carnem suam, et Sacerdotem magnum, super domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem, (fidelis enim est, qui repromisit) et consideremus invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum.

℟. Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in Sanguine Christi: * Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.

℣. Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem Crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in Coelis sunt. Ipse enim. Gloria Patri. Ipse.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Pilatus volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Psalm. 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me : * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae : * propter nomen suum.

Nam si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, * quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus, * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam , * adversus eos , qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum , * et calix meus inebrians quam preclarus est !

Et misericordia tua subsequetur me * omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini * in longitudinem dierum.

Ant. Pilatus volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Ant. Videns autem , quia nihil proficeret, accepta aqua , lavit manus coram populo , dicens : Innocens ego sum a Sanguine Justi hujus.

Psal. 29.

Exaltabo te , Domine , quoniam suscepisti me : * nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus , clamavi ad te , * et sanasti me.

Domine, eduxisti ab inferno animam meam:* salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino, Sancti ejus: * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * Non movebor in aeternum.

Domine, in voluntate tua, * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me, * et factus sum conturbatus.

Ad te, Domine, clamabo: * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo, * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: * conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: * Domine Deus meus, in aeternum confitebor tibi.

Ant. Videns autem, quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a Sanguine Justi hujus.

Ant. Et respondens universus populus di-

xit : Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

Psal. 63.

Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium, * a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabant eum, et non timebunt: * firmaverunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt, ut absconderent laqueos; * dixerunt: Quis videbit eos?

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutinio.

Accedet homo ad cor altum: * ex exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum: * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei: * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo, * et laudabuntur omnes recti corde.

Ant. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

℣. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.
℟. Emundat nos ab omni peccato.

Lectio IV.
Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Vultis Sanguinis Christi audire virtutem? redeamus ad ejus exemplum, et priorem typum recordemur, et pristinam scripturam narremus. In Ægypto, nocte media, Ægyptiis Deus plagam decimam minabatur, ut eorum primogenita deperirent, quia primogenitum ejus populum detinebant. Sed ne amata plebs Judaeorum una cum illis periclitaretur, quia unus locus continebat universos, remedium discretionis inventum est. Proinde exemplum mirabile; ut discas in veritate virtutem. Ira divinae indignationis sperabatur, et domos singulas mortifer circuibat. Quid igitur Moyses? Occidite, inquit, agnum anniculum, et sanguine ejus linite januas. Quid ais Moyses? Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuevit? Valde, inquit: non eo quod sanguis est, sed quia Dominici Sanguinis per eum demonstratur exemplum.

℟. In timore incolatus vestri conversamini: * Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis.

℣. Sed pretioso Sanguine quasi Agni immaculati Christi. Scientes.

Lectio V.

Nam sicut regnantium statuae, quae sine causa sunt, et sermone, nonnumquam ad se confugientibus hominibus anima, et ratione decoratis, subvenire consueverunt, non quia sunt aëre confectae, sed quia retinent imaginem principalem; ita et sanguis ille, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberavit: non quia sanguis fuit, sed quia hujus Sanguis ostendebat adventum. Et tunc Angelus ille vastator, cum linitos postes, atque aditus pervideret, transjecit gressus, et non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus, non postibus impositum sanguinem typi, sed fidelium ore lucentum Sanguinem veritatis Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? Vis et aliam hujus Sanguinis scrutari virtutem? Volo, unde primum cucurrit, inspicias, et de quo fonte manavit. De ipsa primum Cruce processit: latus illud Dominicum initium fuit. Mortuo enim, ait, Jesu, et adhuc in Cruce pendente, approximat miles: Latus lancea percussit, et exinde Aqua fluxit, et Sanguis. Unum baptismatis symbolum, aliud sacramenti. Ideo non ait: Exiit Sanguis, et Aqua; sed exiit Aqua primum, et Sanguis: quia primum ba-

ptismate diluimur, et postea mysterio dedicamur.

℟. Empti estis pretio magno: * Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

℣. Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum. Glorificate.

Lectio VI.

Latus miles aperuit, et templi sancti parietem patefecit. Et ego thesaurum praeclarum inveni, et fulgentes divitias me gratulor reperire. Sic et de illo agno factum est. Judaei ovem occiderunt, et ego fructum de Sacramento cognovi. De latere Sanguis, et Aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas tanti secreta mysterii. Restat enim mihi mystica, atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum, et mysteriorum, Aquam illam, et Sanguinem demonstrare. Ex his enim Sancta fundata est Ecclesia per lavacri regenerationem, et renovationem Spiritus Sancti. Per baptisma, inquam, et mysteria, quae ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus aedificavit Ecclesiam; sicut de latere Adam ejus conjux Heva prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur, dicens: De corpore ejus, et de ossibus ejus sumus: Latus videlicet illud significans. Nam, sicut de illo latere Deus fecit feminam procreari; sic

et de suo latere Christus Aquam nobis, et Sanguinem dedit, unde repararetur Ecclesia.

℟. Commendat charitatem suam Deus in nobis: * Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.

℣. Multo igitur magis nunc justificati in Sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce homo.

Psalm. 73.

Ut quid Deus repulisti in finem: * iratus est furor tuus super oves pascuae tuae?

Memor esto congregationis tuae, * quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam haereditatis tuae: * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem: * quanta malignatus est inimicus in sancto!

Et gloriati sunt, qui oderunt te, * in medio solemnitatis tuae.

Posuerunt signa sua, signa: * et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum : * in securi, et ascia dejecerunt eam.

Incenderunt igni Sanctuarium tuum : * in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul : * Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus , jam non est propheta : * et nos non cognoscet amplius.

Usquequo, Deus, improperabit inimicus ? * irritat adversarius nomen tuum in finem ?

Ut quid avertis manum tuam , et dexteram tuam , de medio sinu tuo in finem ?

Deus autem Rex noster ante saecula * operatus est salutem in medio terrae.

Tu confirmasti in virtute tua mare : * contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis : * dedisti eum escam populis Æthiopum.

Tu dirupisti fontes, et torrentes : * tu siccasti fluvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox : * tu fabricatus est auroram , et solem.

Tu fecisti omnes terminos terrae : * aestatem , et ver tu plasmasti ea.

Memor esto hujus , inimicus improperavit Domino : * et populus insipiens incitavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, *

et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum : * quia repleti sunt, qui obscurati sunt terrae domibus iniquitatum.

Ne advertatur humilis factus confusus, * pauper, et inops laudabunt nomen tuum.

Exurge, Deus, judica causam tuam, * memor esto improperiorum tuorum, eorum, quae ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: * superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Ant. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce homo.

Ant. Et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum, ubi crucifixerunt eum.

Psalm. 87.

Domine Deus salutis meae, * in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea : * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea : * et vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum : * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori, * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar, * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te, Domine, tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia? * aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam,* et veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis.

Et ego ad te, Domine, clamavi: * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid, Domine, repellis orationem meam? avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae: * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die, * circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, et proximum: * et notos meus a miseria.

Ant. Et bajulans sibi Crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariae, locum; ubi crucifixerunt eum.

Ant. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis, et Aqua.

Psalm. 93.

Deus ultionum Dominus: * Deus ultionum libere egit.

Exaltare, qui judicas terram: * redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores, Domine, * usquequo peccatores gloriabuntur?

Effabuntur, et loquentur iniquitatem, * loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

Populum tuum, Domine, humiliaverunt: * et haereditatem tuam vexaverunt.

Viduam, et advenam interfecerunt: * et pupillos occiderunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus, * nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite insipientes in populo: * et stulti aliquando sapite.

Qui plantavit aurem, non audiet? * aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui corripit gentes, non arguet? * qui docet hominem scientiam?

Dominus scit cogitationes hominum, * quoniam vanae sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, * et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diebus malis, * donec fodiatur peccatori fovea.

Quia non repellet Dominus plebem suam: * et haereditatem suam non derelinquet.

Quoadusque justitia convertatur in judicium: * et qui juxta illam omnes, qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes? * aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adjuvit me, * paulo minus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam: Motus est pes meus: * misericordia tua, Domine, adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, * consolationes tuae laetificaverunt animam meam.

Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, * qui fingis laborem in praecepto?

Captabunt in animam justi, * et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium, * et Deus meus in adjutorium spei meae.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in

malitia eorum disperdet eos; * disperdet illos Dominus Deus noster.

Ant. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit Sanguis, et Aqua.

℣. Christus dilexit nos.

℟. Et lavit nos a peccatis nostris in Sanguine suo.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII.

Cap. 19.

In illo tempore: Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato Capite, tradidit spiritum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 120. *in Joann.*

Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit, ut ille quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille

Sanguis qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum; haec et lavacrum praestat, et potum. Hoc praenuntiabat, quod Noe in latere Arcae ostium facere jussus est, qua intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus praefigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum. Magnum quippe significavit bonum, ante magnum praevaricationis malum. Hic secundus Adam, inclinato Capite, in Cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quae de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto Sanguine mundius? Quid Vulnere isto salubrius?

℟. Hic est, qui venit per Aquam, et Sanguinem, Jesus Christus: * Non in Aqua solum, sed in Aqua, et Sanguine.

℣. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris. Non in aqua.

Lectio VIII.

Tenebantur homines captivi sub diabolo, et daemonibus serviebant: sed redempti sunt a captivitate. Vendere enim se potuerunt: sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium; fudit Sanguinem suum, et

emit orbem terrarum. Quaeritis, quid emenit? Videte, quid dederit, et invenietis, quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet! Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum esse, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant. Pro toto dedit, quantum dedit.

℟. Praedestinavit nos Deus in adoptionem filiorum per Jesum Christum, * In quo habemus redemptionem per Sanguinem ejus.

℣. Remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae superabundavit in nobis. In quo. Gloria Patri. In quo.

Nona Lectio Homil. Dom. occur.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Ant. Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt?

Psalm. Dominus regnavit *etc. cum reliq. de Domin.*

Ant. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in Sanguine Agni.

Ant. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die, ac nocte.

Ant. Et ipsi vicerunt draconem, propter Sanguinem Agni, et propter testamentum verbi sui.

Ant. Beati, qui lavant stolas suas in Sanguine Agni.

Capitulum.

Fratres: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, et perfectius tabernaculum non manufactum, idest, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.

Hymnus.

Salvete, Christi vulnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.
Nitore stellas vincitis,
Rosas odore, et balsama,
Pretio lapillos Indicos,
Mellis favos dulcedine.
Per vos patet gratissimum
Nostris asylum mentibus;
Non huc furor minantium
Unquam penetrat hostium.

Quot Jesus in Praetorio
  Flagella nudus excipit!
  Quot scissa pellis undique
  Stillat Cruoris guttulas!
Frontem venustam, proh dolor!
  Corona pungit spinea:
  Clavi retusa cuspide
  Pedes, manusque perforant.
Postquam sed ille tradidit
  Amans, volensque spiritum,
  Pectus feritur lancea,
  Geminusque liquor exilit.
Ut plena sit redemptio,
  Sub torculari stringitur,
  Suíque Jesus immemor,
  Sibi nil servat Sanguinis.
Venite quotquot criminum
  Funesta labes inficit,
  In hoc salutis balneo,
  Qui se lavat, mundabitur.
Summi ad Parentis dexteram
  Sedenti habenda est gratia,
  Qui nos redemit Sanguine,
  Sanctoque firmat Spiritu. Amen.

℣. Justificati in Sanguine Christi.
℟. Salvi erimus ab ira per ipsum.

Ad Benedictus.

Ant. Erit Sanguis Agni vobis in signum, dicit Dominus: et videbo Sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum Mundi Redemptorem constituisti ac ejus Sanguine placari voluisti: concede, quaesumus, salutis nostrae pretium solemni cultu ita venerari, atque a presentis vitae malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit.

Ad Primam.

In ℟. *brev.* ℣. Qui tuo nos Sanguine redemisti.

Ad Tertiam.

Ant. Hi sunt.

Capit. Fratres *etc. ut supra.*

℟. *brev.* Redemisti nos, Domine, * In Sanguine tuo. Redemisti.

℣. Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione. In Sanguine. Gloria Patri. Redemisti.

℣. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.

℟. Emundat nos ab omni peccato.

Ad Sextam.

Capitulum. Hebr. cap. 9. 13.

Si sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?

℟. *brev.* Sanguis Jesu Christi filii Dei * Emundat nos. Sanguis.

℣. Ab omni peccato. Emundat nos. Gloria Patri. Sanguis.

℣. Christus dilexit nos.

℟. Et lavit nos in Sanguine suo.

Ad Nonam.

Capitulum. Hebr. cap. 9. 19.

Accipiens Moyses sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic Sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

℟. *brev.* Christus dilexit nos, et lavit nos * In Sanguine suo Christus.

℣. Et fecit nos Regnum, et Sacerdotes Deo, et Patri. In Sanguine suo. Gloria Patri. Christus.

℣. Justificati in Sanguine Christi.
℟. Salvi erimus ab ira per ipsum.

IN II. VESPERIS.

Ant. et Capit. de Laud. Psalmi de Dom. loco ult. Lauda Jerusalem.

Hymnus ut in I. *Vesperis.*

℣. Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni.
℟. Quos pretioso Sanguine redemisti.

Ad Magnificat.

Ant. Habebitis autem hunc diem in monumentum; et celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.

DECRETUM

URBIS, ET ORBIS

Redempti sumus in Domini Nostri JESU CHRISTI SANGUINE, *qui emundat nos ab omni iniquitate, et ideo Beati, qui in hoc lavant stolas suas. Quod si Ægypti domus agni sanguine conspersae ab ira Dei fuerunt salvae, multo magis hanc iram effugient, imo et miserationibus et gratiis erunt repleti, qui peculiari devotione, et obsequio Salvatoris Nostri Sanguinem venerantur, et colunt.*

Haec aliaque hujusmodi animo reputans SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER *PIUS PAPA IX ut fidelium corda, hisce praesertim miserrimis temporibus, quibus inimicus homo in Dominico agro superseminare zizaniam, et multos insidiis, frau-*

dibus, erroribus decipere atque irretire conatur, amore erga hoc Redemptionis nostrae pretium magis magisque exciteutur, et inflammentur, mandavit, ut non solum in Urbe, sed et in Orbe universo omnes cleri tum saecularis, tum regularis qui horas canonicas recitare tenentur Missam, et Officium de pretiosissimo Sanguine Domini Nostri Jesu Christi *jam a Sacrorum Rituum Congregatione approbatum, et pluribus dioecesibus concessum* Dominica prima Julii *singulis annis in posterum sub ritu* duplicis secundae classis *peragere valeant.*

Quod si in aliqua dioecesis, vel ordine regulari, vel Ecclesia quacumque Officium aequalis, vel altioris ritus praedicta Dominica occurrat, statuit ut Officium et Missa de pretiosissimo Sanguine fiat tamquam in sede propria in proxima die a festo primae, vel secundae classis non impedita trasferendo juxta rubricas officium, quod nequit recitare in propria die.

Declaravit insuper ut Officium recitandum prima Dominica Julii *numquam omittatur, itemque ut firma, et in suo robore permaneant peculiaria indulta, et privilegia iam concessa recitandi nempe Officium hoc vel quadragesima, vel alio anni tempore.*

SANCTITAS SUA ea profecto spe nititur fore ut per merita hujus PRETIOSISSIMI SANGUINIS Fideles magis in dies fide vivificati, spe corroborati, et charitate incensi vitam ducant ab omni iniquitate alienam, et praemia assequantur aeterna.

Datum Cajetae hac die 10 Augusti 1849.

AL. CARD. LAMBRUSCHINI
Ep. Portuen. etc. SS. Rituum Congr. Praefectus.

Andreas Maria Frattini Sanctae Fidei Promotor.

DIE VII. JULII

In Conventu Neapoli

DEDICAT. ECCLESIAE CATHEDRALIS

Duplex secundae Classis.

(Dies fixa)

Omnia de com. Dedic. Ecclesiae, ut in Brev.

DIE XV. JULII

B. ANGELINAE DE MARSCIANO VID.

Primae in Italia Religionis Sororum Tertii Ordinis S. P. N. Francisci de Poenitentia in claustris degentium promotricis.

Duplex minus.

Omnia de comm. nec Virg. nec Mart. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio.

Deus, qui B. Angelinam eximiae humilitatis, et charitatis dono decorasti, ac per Eam foetu novae prolis Ecclesiam tuam amplificare voluisti; concede propitius, et ejus exempla sectantes, aeterna gaudia consequamur. Per Dominum nostrum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Angelina ex Comitibus Marsciani Umbriae in Castro Montis Jovis nata, a pueritia Altariola domi erigens, virginibus compluribus in divina obsequia congregandis praelusit: jam enim tum ad preces, et ad cetera pietatis exercita virgunculas arcessere de vicinia mos illi fuit. Ægre vero Joanni de Termi Comiti Civitellae ad Truentum matrimonio juncta, ad pia opera sedulo incubuit. Sponso post biennium vita functo, coelestia coepit liberius cogitare, viduas et pupillos fovere, et sacris exhortationibus multos peccatores ad poenitentiam adducere. Universa ferme Aprutiorum oppida discurrens, multis puellis nobilibus ubique, ut virginitatem capesserent, persuasit. Hinc in implacabiles incurrit inimicitias, et apud Ladislaum Siciliae Regem accusata, qui eam uti haereticam Neapolim accivit, secum constituens illam flammis devovere. Ibi mortuum puerum ad vitam revocavit, et coram Rege constituta ei prunas in sua veste latentes obtulit flagitans, ut si eam sor-

tem comperiisset, extemplo cremaret. Rex duplici consternatus miraculo, illesa scilicet vestis, et revelati, quod nulli crediderat, secreti, eam cum honore dimisit.

Lectio V.

Inter redeundum passim, uti consueverat, peccatis obnoxios ad officia, et puellas ad claustra vocavit, et in sua Ditione multas congregavit discipulas. Apud Regem iterum accusata, jussa est toto Regno cum sociis exulare, et Assisium profecta, et pro peccantibus et insectatoribus orans, per extasim cognovit, se divinitus ad Fulginates mitti. Igitur Dei monitis obtemperans Fulgineum perrexit, ibique Monasterium S. Annae Comitissarum nuncupatum construxit, illudque cum Lucretia et Catharina ex Comitibus de Genga, et cum aliis nobilissimis foeminis ingressa, prima in Italia Religionis Sororum Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia in claustris degentium fundamenta jecit, quam Urbanus VI Bonifacius IX et Martinus V, approbaverunt. Missis per diversa loca discipulis, viginti monasteria aedificavit, quae veluti generalis Ministra invisens, Sorores ad poenitentiam, aliasque virtutes hortabatur. Jejuniis, orationibus, et charitatis operibus perpetuo intenta, Angelicam potius, quam hu-

manam vitam ducere videbatur. Multas Doemonum insidias passa, et ab eis tum verberibus, tum aliis modis cruciata, gloriose de eis triumphum retulit.

Lectio VI.

Gravi langnore correpta Discipulis ad virtutes, et Regulae observantiam adhortata, praesentibus et absentibus benedixit. Postea Sacramentis Ecclesiae devotissime susceptis, in extasi constituta, et dormienti similis die decima quarta Julii spiritum emisit anno millesimo quadrigentesimo trigesimo quinto. Miro splendore coepit facies effulgere, cubiculum suavissimum spirare odorem, populus accurrere ad venerandum sacrum corpus, quod, Episcopo, Clero, Religiosis, et Urbis Magistratu comitantibus, ad Templum S. Francisci Ordinis Minorum delatum, ut ipsa optaverat, in devoto sacello, muro arcuato, tumulo eminenti sepultum fuit. Parietes hujus in omnium conspectu diem solidum humore Sanguineo manarunt, et ipsa revelavit ea die Turcas Constantinopoli potitos esse, et cladem rei Christianae se voluisse lapidum lacrymis, quam suis non poterat, exprimere. Ejus corpus a solemni translatione super aram locatum perenni cultu, atque immemorabili gaudet. Quo quidem Cultu rite probato, Leo XII.

Pontif. Max. ipsius Beatae Officium, et Missa Idibus Julii tum ab universo Minorum Ordine, tum a Clero Fulginate, et Civitellae ad Truentum, ut celebraretur, indulsit.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Simile est regnum coelorum thesauro *de com. nec Virg. nec Mart.*

DIE XVI. JULII

B. M. V. DE MONTE CARMELO

Duplex secundae Classis (1).

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico.

DIE XXVI. JULII

S. ANNAE MATRIS B. M. VIRGINIS

Duplex secundae Classis

(✠ Neapol. dies festiv.)

Omnia ut in Breviario etc.

(1) Indulg. Plenar. perp. concess. a PIO IX.

AUGUSTUS.

DIE II. AUGUSTI

FESTUM CONSECRATIONIS ECCLESIAE

S. MARIAE ANGELORUM

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico novissimo.

DECRETUM

Proposito dubio Sacrae Indulgentiarum Congregationi — An visitantes Ecclesias Ordinis S. Francisci die secunda Augusti lucrentur Indulgentiam Plenariam *TOTIES QUOTIES, in Eas ingrediuntur, et parumper ibi orant? et an requirantur, ut Communio fiat in eadem Ecclesia? Eadem Sacra Congregatio habita in Palatio Apostolico Quirinali die 22 Febr. 1847 decrevit respondendum esse — Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.*

Datum Romae ex Secreteria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 12 Julii 1847.

DIE IV. AUGUSTI

In Conventu Martani

S. P. DOMINICI CONFESSORIS

Patroni Princip. Loci (✠)

Duplex primae Classis cum Octava.

Omnia ut in nostro Breviario etc.

DIE XIV. AUGUSTI

In Conventu Martani

Bb. ANTONII PRIMALDI ET SOC. Mm.

HYDRUNTINORUM

Duplex primae Classis (1).

Omnia de comm. plur. Mart. praeter seq.

Oratio.

Praesta quaesumus, Omnipotens Deus: ut qui gloriosos Martyres Antonium, et Socios fortes in sua confessione cognovimus, pios apud Te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum nostrum etc.

(1) Ex *Decr.* S. R.C. ad instant. Ferdinandi IV utriusque Siciliae Regis, die 19 Julii 1773 et nuper ab eadem S.R.C.disp.etc.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Antonius Primaldus et octingenti circiter Socii Martyres Hydruntini, fidem postremis hisce Saeculis suo sanguine illustrarunt, et insigni fortitudinis exemplo primaevam Ecclesiae gloriam revocarunt. Anno siquidem reparatae salutis millesimo quadringentesimo, quum Achomates classis Mahumeti Secundi Praefectus in perniciem tenderet Italiae, Hydruntum devectus, Urbem penitus imparatam facili negotio subigere ratus est. Tanta vero fuit Hydruntinorum virtus, ut cum hostibus Sanctae Fidei pacisci, ne ferendis quidem conditionibus, passi sint. Per quindecim igitur dies acriter utrinque pugnatum est; sed jam disjectis moenibus, tandem barbarorum numerus praevaluit, qui vi Urbe potiti, cuncta caedibus compleverunt, sic per diuturnos labores, multasque tribulationes servos suos Dominus ad coronam disponebat.

℟. Sancti etc.

Lectio V.

Hydruntinorum constantia, suorumque ingenti clade non leviter commotus Achomates crudelis homo, et Christiano nomini infensissimus, inter eos, quos servituti addixerat, viros omnes secerni jubet decimo quinto anno majores, qui octingenti circiter inventi sunt. Nudi, manibusque post terga colligatis ex Urbe ad clivum Minervae (postea Martyrum dictum) coram barbaro Duce deducti. Electo huic populo fides Christi ejuranda proponitur; libertas, et patriae salus, dum pareant, promittitur; mors vero, si renuant, comminatur. At exemplo vere singolari, nemo unus in tanto numero repertus est, qui vel spe libertatis allectus vel mortis timore perculsus, a fide Christi desciverit. Omnes enim ab Antonio viro religione spectabili confirmati, invocantes dulcia Jesu, et Mariae nomina, seque invicem cohortantes, datis fortiter pro Christo cervicibus, Martyrii palmam assequuti sunt.

℟. Verbera etc.

Lectio VI.

Martyrium hoc pluribus prodigiis Deus quoque confirmavit. Ferunt enim, Antonii corpus, abscisso capite, constitisse, nec nisi finita Sociorum caede potuisse dejici; atque

insuper omnia Beatorum corpora per tredecim menses diu exposita penitus integra, et incorrupta permansisse. Quare ab Alphonso Calabriae Duce Ferdinandi Regis filio, Urbe recuperata, summa religione ac pompa, ipsoque comitante ad reconciliatam Metropolitanam Ecclesiam importantur, et in egregio Sacello, quod regali munificentia Rex dotaverat, collocantur. Quadriennio fere post biscentum circiter quadraginta ex iisdem Martyrum corporibus idem Alphonsus Dux Neapolim asportavit, atque in Ecclesia Beatae Mariae Magdalenae prope Castrum Capuanum collocavit; unde postea ad Ecclesiam Sanctae Catharinae ad Formellum nuncupatam translata sunt, ubi nunc etiam pie sancteque recoluntur. Reliqua vero sacra pignora illorum patria Hydruntum veneratur, Beatorumque Martyrum praesentem opem saepissime experta, Cultum ab immemorabili tempore iisdem praestitum, Clementis Decimi Quarti Pontificis Maximi Apostolica auctoritate comprobandum curavit.

℟. Tanquam etc.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Evang. Cum audieritis etc. *de eod. com. 1. loco.*

DIE XXI. AUGUSTI

In Conventu Castellanae

B. MARIAE V. DE CONSOLATIONE

Patronae Loci (✠)

Duplex primae Classis.

(Dies fixa)

Omnia ut ad Nives praeter Lectiones secundi Noct. ut in Festo Patrocinii ejusdem Virg. Dom. II. Novembr.—Sermo S. Joannis Chrysostomi : *Dei Filius* etc.

DIE XXVI. AUGUSTI

In Conventu Lycien

Ss. MARTYRUM

ORONTII , FORTUNATI , ET JUSTI

Patronorum neque principalium Lycien. (✠)

Duplex primae Classis.

AD VESPERAS.

Ant. Qui dixit *cum reliquis de Laudibus.*

Psalm. Dixit Dominus *cum reliquis de Dominica*, *et loco ultimi Psalmi* Laudate Dominum omnes gentes etc.

Capitulum. Sap. 4.

Justorum animae etc. *ut in comm. plur. Mart.*

Hymnus.

Sanctorum celebri plaudite nomini,
Gaudentes populi, plaudite gloriae
Insignes meritis, laudibus inclytos
Christi dicite Martyres.
Hi dum per patriam, per loca dissita
Divinae Fidei dogmata nunciant,
Spernunt vincla, minas, verbera, carceres,
Morti cedere nescii.
Effuso capiunt sanguine praemium,
Exceptique poli sede, perenniter
Defendunt patriam, nec gravius sinunt
Iram plectere Numinis.
O felix Lycium! Maxima pignora,
Rector caelicolum quae tibi contulit,
Serva More pio, semper ut impleant
Te caelestia munera.
Te Summa o Deitas, unaque poscimus
Ut culpas abigas, noxia subtrahas
Des pacem famulis, ut tibi gloriam
Annorum in seriem canant. Amen.

℣. Laetamini in Domino, et exultate justi.
℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ad Magnificat.

Ant. Videbo sanguinem, et transibo vos; nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram.

Oratio.

Deus, qui Beatos Orontium et Fortunatum, Martyres tuos atque Pontifices, in confessione verae fidei virtute constantiae roborasti, quique illis Beatum Justum in praedicatione ducem, et in passione socium tribuisti: concede nobis famulis tuis, ut quos patronos veneramur in terris, intercessores habere mereamur in coelis. Per Dominum nostrum etc.

AD MATUTINUM.

Omnia ut in comm. pl. Mm. exceptis iis quae sequuntur.

Hymnus.

Anni reducit orbita
Festiva nobis gaudia,
A morte quae nos criminum
Vitae vocant ad lumina.

Ut verba Justi Orontius
Excepit aure, protinus
Sancto repletus Spiritu
Christi tenet vestigia.
Dei ministro impiger
Pastoris implet munia;
Cui charitatis fervidae
Flammas licebit dicere?
Conversa tunc gens apula
Idola vana deserit,
Verumque numen invocans
Novo refulget lumine.
In Fortunato Orontii
Imago splendet vivida,
Qui patrui vestigia
Secutus est fideliter.
Laetis proinde vocibus
Canamus hosce martyres,
Qui christiani nominis
Fidem cruore comprobant.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna saecula.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Lectio I.

De Epistola prima Beati Joannis Apostoli.

Cap. 5.

Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est, et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui ex eo natus est. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei cum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus. Haec est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia non sunt: quoniam omne quod natum est ex Deo vincit mundum; et haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra. Tu autem ec.

℟. Cum placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam ut revelaret Filium suum in me, * Continuo non acquievi carni et sanguini, sed gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis.

℣. Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet. Continuo non acquievi etc.

Lectio II.

Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus est Filius Dei? Hic est qui venit per aquam, et sanguinem Jesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Quoniam tres sunt qui testimonium dant in caelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt; et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, et aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus; testimonium Dei majus est; quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est: quoniam testificatus est de Filio suo. Tu autem etc.

℟. Sermo meus, et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis: sed in ostensione spiritus, et virtutis: * Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.

℣. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Ut fides etc.

Lectio III.

Qui credit in Filium Dei habet testimonium Dei in se; qui non credit Filio, mendacem

facit eum; quia non credit in testimonium; quod testificatus est Deus de Filio suo; et hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis Deus, et haec vita in Filio ejus est. Qui habet Filium habet vitam; qui non habet Filium, vitam non habet. Haec scribo vobis, ut sciatis quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei, et haec esi fiducia quam habemus ad eum. Quia quaecumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Tu autem etc.

℟. Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exortante per nos: * Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.

℣. Charitas Christi urget nos; aestimantes hoc, quoniam pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Obsecramus etc.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Orontius Lupiis in Salentinis illustri loco natus, Justo duce, ac magistro, Christi Fidem amplexus est. Justum enim ab Apostolo Paulo Corintho Romam missum, navis, quam conscenderat, maris tempestati, seu verius Dei

consilio cuncta moderantis obtemperans, ad Salenti oras perduxit. Eum inde hospitio excepit Orontius, qui, quum non sine pio animi sensu peregrinum hominem identidem de Christo, ejusque vitae mysteriis loquentem audisset: tanto verae Fidei, divinarumque rerum ardore succensus est, ut illico nefarium Idolorum cultum execratus, Christo nomen dare decreverit, et brevi se eum Fortunato nepote totaque familià ab ipso Justo sacro fonte expiari curaverit. Justo deinde, Roma Corinthum redeunti, Orontius, et Fortunatus, Paulum adire cupientes, se comites dederunt. Corinthi Gentium Doctore, tunc temporis ibi degente, aliquandiu familiariter usi, mirum, quantum ejusdem monitis, et exemplis, in Christianae vitae, Fideique studium exarserint. Apostolus interea Orontium, quem satis in omni virtutum genere eminere perspexerat, primum nascentis Ecclesiae Lupiensis Episcopum consecravit, et in Patriam una cum Justo, et Fortunato remisit. Tu autem etc.

℟. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur, * Persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus.

℣. Omnia propter vos, ut gratia abundans per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. Persecutionem etc.

Lectio V.

Reversus in Patriam in id bonus Pastor unice incubuit, ut cives ab Idolorum cultu ad Christi fidem perduceret ac firmaret. Huc etiam Justi et Fortunati spectabant omnes curae et labores. Et sane principio plures ad Christum converterunt Romanae legionis milites, deinceps non modo cives pene omnes, sed innumeros etiam ex finitimis regionibus, quas praesertim exul peragravit Orontius, et simul praedicatione et miraculis illustravit. Celebris quippe est crypta Hostuniensis, in qua olim latitasse, et siti laborantem baculi ictu e proxima rupe aquae fontem elicuisse memoriae proditum est: quem idcirco Fontem Indigenae Oronti nomine, ad haec usque tempora notare consueverunt. Saeviente vero in Christianos Nerone, ab ejus satellitibus Orontius et Justus comprehensi, quum nec minis, nec blanditis a christiana religione ullo modo revocari possent: post vincula, verbera, exilium, variosque ac diros cruciatus, capitis obtruncatione martyrii coronam adepti sunt. Orontio in Episcopatu successit Fortunatus, qui strenue patrui vestigia persequens, multa et ipse pro fide pertulit, ac tandem pastoralibus infulis martyrii quoque palmam adjecit. Tu autem etc.

℟. Signa Apostolatus mei facta sunt super

vos * In omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus.

℣. Ego autem libentissime impendar, et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar. In omni etc.

Lectio VI.

Horum Martyrum memoriam cultu immemorabili semper est venerata Salentinorum Provincia, in primis vero Lupienses, quippe qui innumera eorum ope divinitus beneficia acceperunt. Modo enim ab atra lue, per Italiam longe, lateque grassante, se cum tota provincia incolumes servatos; modo civitatem, repetitis terraemotibus pluries quassatam, stantem prorsus et integram; modo praeter alia id genus multa, ab infensis aeris tempestatibus villas, agrosque penitus intactos, eorumdem experti sunt patrocinio. Illud sane mirandum, et insigne singularis tutelae monumentum, quod Orontii imago in tabula depicta; quae in ejusdem Patroni sacello in oppido Champiarum fidelium venerationi exponenda asservatur, laevam extensam, sed palmi circiter dimidio a subter picta Lupiensis civitatis efficie dissitam, sensim ita demisit, ut ipsam modo civitatis effigiem fere tangat, et ad proximas aliorum locorum imagines propius accedat. Hinc Sacra Rituum Congregatio, quae

Orontii, Justi, et Fortunati, tamquam Patronorum aeque principalium, Festum de praecepto servari septimo kalendas Septembris; nec non Officium et Missam ab utroque Clero recitari, ac respective celebrari posse permiserat; Orontii quoque electionem in totius Salentinae provinciae Patronum adprobavit. Benedictus vero decimus quartus, et Gregorius decimus sextus Lupiensium votis annuentes, quos tanti Patroni implorata intercessione incolumes evasisse pie creditur a flagello terraemotus, qui et decimo kalendas Martii anni millesimi septingentesimi quadragesimi tertii, et denuo decimo quarto kalendas Februarii anni millesimi octingentesimi trigesimi tertii, remotiores, et finitimas civitates maxima incolarum clade, ingentique aedificiorum ruina dire concusserat, Orontii Patrocinium, iisdem praedictis diebus recolendum indulserunt. Tu autem etc.

℟. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, nos infirmi, vos autem fortes. * Usque in hanc horam, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur, blasphemamur, et obsecramus; tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.

℣. Non ut confundam vos haec scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Usque etc.

Gloria Patri etc. Usque etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. cap. 15.

In illo tempore, dixit Jesus Discipulis suis: majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Sermo 77. in Natali Ss. Octavii, Adventitii, Solutoris Tauricorum.

Exemplo Martyrum didicimus Christo credere; didicimus contumeliis vitam aeternam quaerere, mortem didicimus non timere. Vide ergo quid Martyribus debeamus, in quo alius tortus est, ut alius salvaretur; alter carnificem pertulit, ut Christum alter agnosceret; alter morti addictus est, ut alius vita potiretur aeterna, et ad postremum Sanctus occisus est, ut peccator evaderet. Beati igitur Martyres nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui; exemplum enim nobis reliquerunt bene vivendo, conversationis; tolerando fortiter, passionis. Tu autem. etc.

℟. Facti sumus parvuli in medio vestrum,

tamquam si nutrix foveat filios suos, ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras * Quoniam charissimi nobis facti estis.

℣. Memores enim estis laboris nostri, et fatigationis, nocte, ac die operantes. Quoniam etc.

Lectio VIII.

Nam ideo Dominus per totum mundum diversis in locis pati Martyres voluit, ut tamquam idonei testes nos presenti quodam fidei exemplo suae confessionis urgerent, ut humana fragilitas, quae praedicationi Dominicae aditu longiore vix credit, vel praesenti oculorum testimonio martyrio crederet beatorum. Cuncti igitur Martyres devotissime percolendi sunt; sed specialiter ii venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus, illi enim orationibus adjuvant, isti etiam adjuvant passione; cum his autem nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, et in corpore nos viventes, custodiunt, et de corpore recedentes excipiunt.

℟. Imitatores mei estote, sicut et Ego Christi. * Nam per Evangelium ego vos genui.

℣. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Jesu Christi.

Nam etc. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Nam etc.

Lectio IX.

Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen consocii sanctitate; Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos paradisi regna suscipiunt. Nam videmus eos utique jam regnare; cernimus enim ab iis frequenter obsessos immundissimis daemonibus homines liberari, ita ut caelesti medicina, et captiva anima de diaboli laqueis eruatur, et ipse diabolus vinculis igneis alligatus producatur de sua captivitate captivus; ut qui praedam paulo ante ceperat, ipse subdatur in praedam. Haec, et alia potiora mirabilia per sanctos fieri omnibus notum est. Et ideo, fratres, veneremur eos in saeculo, quos defensores habere possumus in futuro. Tu autem.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Ant. Qui dixit de tenebris splendescere lucem, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Jesu Christi.

Psalm. de Dominica.

Ant. Mox ut vocem Justi praedicantis audivit Beatus Orontius, aeternae vitae secutus est praemia largientem.

Ant. Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.

Ant. Persecutionem patimur, sed non derelinquimur, dejicimur, sed non perimus.

Ant. In mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

Capitulum. Sap. 3.

Justorum animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: illi autem sunt in pace.

Hymnus.

Caelestis aula jubilet,
Horrens avernus infremat,
Dum Martyrum victorias
Ad astra laeti tollimus.
Horum repulsa vocibus
Caligo noctis scinditur,
Lux alma terras irrigat,
Vinctis levantur compedes.

Quid vane cultus numinum
Ausu moraris impio?
Procul recede, tartari
Ad antra nigra confuge.
Sol verus en illabitur,
Christi triumphat passio,
Fulget crucis mysterium,
Divina regnat veritas.
Haec parta, Sancti Martyres,
Vestris fuit victoria
Miraculis, laboribus,
Sudore, vita, et sanguine.
Sperare quis non audeat
Vitare poenas vindices
Irae traemendi Judicis,
Securus his precantibus?
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
In sempiterna saecula. Amen.
℣. Exultabunt Sancti in gloria.
℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

Ad Benedictus.

Ant. Dominus dixit, ut disperderet eos, si non electi ejus stetissent in confractione in conspectu illius, ut averterent iram ejus.

Oratio.

Deus, qui Beatos Orontium et Fortunatum, Martyres tuos atque Pontifices, in confessione verae Fidei virtute constantiae roborasti, quique illis Beatum Justum in praedicatione ducem, et in passione socium tribuisti: concede nobis famulis tuis, ut quos patronos veneramur in terris, intercessores habere mereamur in coelis. Per Dominum nostrum etc.

IN II. VESPERIS.

Antiphonae ut in laudibus Qui dixit etc. *Psalmi ut in 2. Vesp. de com. pl. Mm.*
Hymnus *ut in* 1. *Vesp.*
℣. Exultabunt Sancti in gloria.
℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

Ad Magnificat.

Ant. Hi sunt fratruum amatores, qui multum orant pro populo, et universa civitate.

DIE XXVI. AUGUSTI

In aliis Convent. Prov. Lyciensis

S. ORONTII EPISC. ET MARTYRIS

Patron. ejusdem Provinciae

Duplex primae Classis.

Offic. de Comm. 1. Martyr. praeter Lectiones II. Noct. ut supra.

DIE XXX. AUGUSTI

In Conventu Uriae

S. BARSANUFRII ABBATIS

Patroni Civitatis (✠)

Duplex primae Classis.

Offic. de Comm. non Pont. Pr. loc. praeter Lectiones 3. Noct. de Comm. Abb.

DOMINICA ULTIMA AUGUSTI

In Conventu Capursii

FESTUM

SS. VIRGINIS DEI GENITRICIS MARIAE

MATRIS MISERICORDIAE

SUB PUTEI TITULO VENERATAE

Titularis ejusdem Ecclesiae

Duplex primae Classis cum Octava (1).

(Dies fixa)

DECRETUM

In Ecclesia Conventus Capursi Fratrum Minorum strictioris Observantiae Discalceatorum, qui a S. Petro de Alcantara dicuntur, Provinciae S. Paschalis Baylon Lyciensis, colitur magna cum veneratione, et populi concursu IMAGO Beatissimae Virginis *MARIAE, quae initio Saeculi decimi octavi in quodam Puteo fuit inventa. Pluribus signis Sanctissima Dei Genitrix manifestum fecit, quam gratum sibi sit inibi venerari, quum fideles ad Imaginem illam devote accedentes, prae-*

(1) In aliis Conventibus N. P. *Duplex majus etc.*

sentissimum sentiant Deiparae auxilium. Quamvis pluribus gratiis, et privilegiis Ecclesia illa a Summis Pontificibus fuerit decorata, tamen concessum adhuc non erat proprium Officium, et propria Missa. Hinc Serenissimus FERDINANDUS *II utriusque Siciliae Rex, cujus religio, et pietas erga Virginem et Matrem Dei Sanctissimam refulget ita, ut suis ipsis populis exemplo esse possit, a Sanctissimo Domino Nostro Papa PIO IX pustulavit, ut* Officium et Missam propriam *concedere dignaretur in honorem Beatae MARIAE Virginis recitandum, et celebrandum Dominica ultima Augusti, tum in Ecclesia Capursi, ubi veluti Titularis Ecclesiae Festivitas haec habetur, tum in aliis Ecclesiis illius Minoriticae Provinciae. Petiit quoque Serenissimus Rex, ut Sanctitas Sua Indulgentiam* Quotidie *Plenariam visitantibus Ecclesiam Capursi concedat, et applicandam quoque per modum suffragii pro animabus in Purgatorio degentibus. Hisce petitionibus, referente me infrascripto Sanctae Fidei Promotore benigne annuit Sanctissimus Dominus Noster, et indulsit, ut quolibet anno Dominica ultima Augusti possit in Ecclesiis Provinciae S. Paschalis Baylon Liciensis Fratrum Minorum S. Francisci strictioris Observantiae a Religiosis viris recitari Officium, et ab ipsis nec non ab aliis Sacerdotibus, tum Saecularibus, tum Regularibus celebrari Missam in hujus Decreti calce apposita. Concessit vero ut in Ecclesia Conventus Capursi, utpote Titularis Ecclesiae, hoc Festum sub ritu dup. 1. Classis cum octava celebretur, in aliis Ecclesiis, sub ritu dup. majoris, ea tamen lege, ut si eadem die inciderit festum aequalis vel altioris ritus in hisce Ecclesiis, et Conventibus transferri possit, juxta rubricas, Festum B. M. Virginis, et si inciderit fe-*

stum duplicis majoris, vel secundae Classis, poterit celebrari unica Missa solemnis de B. MARIÆ Virginis, non omissa Missa Conventuali, si vero inciderit Festum ritus primae Classis, ne Missa quidem Solemnis celebrari fas sit.

Petitam Indulgentiam *Quotidie* Plenariam *in Ecclesia Conventus Capursi, applicandam quoque per modum suffragii pro animabus in Purgatorio degentibus, Sanctitas Sua benigne elargitus est* (1), *servatis in omnibus servandis, et contrariis quibuscumque non obstantibus.*

Datum Cajetae 18 Maji 1849.

A. Card. Lambruschini S. R. Congr. Praefectus.

Andreas Maria Frattini S. Fidei Promotor.

(1) Idem SS. D. N. ad humillimas praeces R. P. F. Raphaelis ab Angelo Custode Ministri Provincialis dictae Provinciae, ex speciali gratia, benigne concessit etiam in suis omnibus Ecclesiis *Indulgentiam Plenariam perpetuam*, fidelibus quoque defunctis applicabilem, in die tantum Festivitatis B. MARIAE Virginis de Puteo nuncupatae, ex Rescripto S. C. Indulgentiarum die 25 Maji 1849.

AD VESPERAS.

Ant. Dum esset Rex. *Cum reliq. de Laud. Psalm. ut in Off. parvo.*

Capitulum. Eccli. 24.

Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

Hymn. Ave, maris stella.

℣. Dignare me laudare Te, Virgo sacrata.
℟. Da mihi etc.

Ad Magnificat.

Ant. Hortus conclusus, soror mea Sponsa, hortus conclusus fons signatus.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui per intercessionem Beatae Mariae Virginis Matris Tuae, vinum ex aqua in nuptiis effecisti, praesta nobis quaesumus, ut per gratiam tuam conversa in bonum voluntate, eaque semper in melius progrediente, ad fontem gaudii aeterni pervenire feliciter mereamur. Qui vivis etc.

Ad Complet. et Horas diei in fine Hymn. dicitur: Jesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine.

AD MATUTINUM

Invitat. Sancta Maria Dei Genitrix Virgo * Intercede pro nobis.

Psalm. Venite.

Hymn. Quem terra.

Ant. et Psalm. et ℣℣. trium Noct. ut in Officio parvo B. M. V.

IN I. NOCTURNO.

De Parabolis Salomonis.

Lectio I. Cap. 8.

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum, arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium, et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me.

℟. Sancta, et Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem Coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

Mecum sunt divitiae, et gloria, opes superbae, et justitia. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis justitiae ambulo, in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant, necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar.

℟. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum: quia, cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum, et hominem.

℣. Beata me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis.

Lectio III.

Beatus homo, qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia

aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad moenia civitatis: si quis est parvulus veniat ad me. Et insipientibus locuta est: venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.

℟. Beata es, Virgo Maria, quae Dominum portasti Creatorem mundi: * Genuisti qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo.

℣. Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti — Gloria Patri — Genuisti.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De Sermone panegyrico ad B. Virginem Deiparam.

Lectio IV.

Hortus conclusus Tu es Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris numquam introivit. Tu sanctorum arcola aromatum a coelesti consita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas, inter quorum pulcherrimos trium in Te miramur excellentiam. Hi sunt quorum odore suavissimo totam domum Domini reples, o Maria, Viola humilitatis, Lilium castitatis, Rosa caritatis. Merito de tali arcola flos ille

speciosus prae floribus Paradisi electus est super quem requievit Spiritus Domini. Et cui Te assimilabimus, Mater pulchritudinis? Veré Paradisus Dei Tu es, quia lignum vitae mundo protulisti, de quo qui manducaverit, vivet in aeternum. Fons vitae qui ex ore Altissimi prodiit, de medio ventris Tui exilivit, atque in Te in quatuor se se dispertiens ad irrigandum faciem arentis mundi emanavit, laetificant civitatem Dei. Omnis enim qui biberit ex eo, non sitiet in aeternum, et erit plusquam Paradisus hic de cujus aqua si quis biberit, sitiet iterum.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa * Dedi suavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio V.

O quanta mundo contulisti quae tam salubris aquaeductus esse meruisti! O lampas luculentissima, quantos laetificasti quando splendore Dei illustrata desideratum illud lumen, quo inventa est drachma decima, sedentibus in tenebris, et umbra mortis protulisti. Te nimirum ille divini epithalamii praecentor a longe intuitus est, cum in admirationis voce ita prorupit: quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens: pulchra ut luna,

electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? Sicut aurora valde rutilans in mundo progressa es, o Maria, quando veri solis splendorem tantae sanctitatis jubar praecucurristi, ut vere diem salutis, diem propitiationis, diem quem fecit Dominus, a Tua claritate imitari dignum fuerit.

℟. Quae est ista, quae processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem?* Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio VI.

Ex Monumentis Historicis.

Tanta est Deiparae Virginis gratia apud Deum, tanta benignitas erga fideles, ut nulla aetas, nulla natio, imo nulla est civitas, ac prope nullum pagum, quod illius non sentiat praesentissimum auxilium. Hujus rei in provincia Barensi oppido Capursi, praeclarum extat testimonium. Initio enim saeculi decimi octavi, dum in honorem Beatissimae Virginis Mariae Ædicula a quodam Sacerdote, ob sanitatem, Ea intercedente consequutam, construeretur, inventa est in Putei pariete Imago Sanctissimae Dei Genitricis, cum Infante Jesu. Fue-

runt omnes admiratione perculsi, et proinde e muro avulsa, in dicta Ædicula ad fidelium venerationem posita fuit Imago. Cujus facti statim fama diffusa, oppidani, aliique ad eam confugerunt, Virginis opem implorantes. Nec frustra, cum pluribus signis et miraculis Deipara propitiam se ostendit. Nil propterea mirum si de die in dies aucta fuit devotio, frequentior concursus, qui usque adhuc perseverat et augescit. Hinc aedificata, saeculo decimo octavo decurrente, fuit Ecclesia et Conventus Fratrum Minorum Sancti Francisci strictioris Observantiae, qui a Divo Petro de Alcantara nomen habent. Plures Summi Pontifices Ecclesiam ubi haec colitur Imago, Indulgentiis et Privilegiis dicarunt. Postulante vero utriusque Siciliae Rege FERDINANDO II, singularis majorum suorum devotionis in Beatam Virginem Mariam aemulatore, PIUS IX, dum Cajetae ob temporum acerbitatem moraretur, Officium et Missam, nec non Indulgentiam *quotidie* Plenariam visitantibus, rite dispositis, Ecclesiam Capursi, concessit.

℟. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit. * Et videntes eam filiae Sion, beatissimam praedicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri — Unguentum.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 2.

In illo tempore: Nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat Mater Jesu ibi. Et reliqua.

De Homilia S. Joannis Chrysostomi.

In Jo: Homilia 22.

Ait Jesus: nondum venit hora mea. Nondum notus sum praesentibus sed neque sciunt illi vinum deficere. Sine, donec id sentiant. Neque enim hoc me a te oportuit audire. Mater quippe es, et miraculum redit suspectum. Oportebat illos indigentes accedere et precari, non quod ea re opus habeam, sed ut ipsi cum magno consensu miraculum gestum acciperent. Nam qui se in necessitate constitutum novit, cum petita consequitur, magnam habet gratiam, qui vero necessitatem nondum advertit, neque beneficii clare sensum recipiet.

℟. Felix namque es, Sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima * Quia ex te ortus est Sol justitiam, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant

omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Festivitatem. Quia.

Lectio VIII.

Et cur, inquies, postquam dixerat, nondum venit hora mea et recusaverat, id quod Mater dixerat, effecit? Ut contradicentibus, et putantibus ipsum horae subjectum esse, demonstraretur ipsum non esse horae et tempori subditum. Nam si subditus horae fecisset; quomodo congruente nondum adveniente hora id opus peregisset? Ad haec in Matris honorem id fecit, ne omnino ipsi repugnare videretur, ne ex imbecillitate id facere videretur, ne tanto adstante coetu Matrem pudore afficeret: Nam ministros ipsi obtulerat. Siquidem postquam Chananeae dixerat, non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus, dedit tamen postea, ejus assiduitate permotus. Atqui etiam dixerat, non sum missus nisi ad oves quae perierunt, domus Israel. Postquam tamen haec dixerat filiam ejus liberavit. * His discimus nos etsi indignos, assiduitate tamen nos saepe dignos reddere qui accipiamus. Idcirco Mater et expectavit, et sapienter ministros admovit, ut a pluribus rogaretur. Idest addit: quodcumque dixerit vobis, facite. Noverat enim ipsum non ex imbecillitate renuisse, sed quod fastum fugeret

nolletque se ad miraculum patrandum statim projicere ideoque ministros adduxit. Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem Judaeorum capientes singulae metretas binas vel ternas. Dixit eis Jesus : Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.

℟. Beatam me dicent omnes generationes:* Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, et Sanctum nomen ejus.

℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia. Gloria Patri. Quia.

Lectio IX. de Homilia Dom. occurrentis.

Si vero trasferendum sit Festum, tum Lectio VIII. erit usque ad verba — Filiam ejus liberavit—, *et IX. incipiet verbis*—His discimus.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Ant. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis. — *Psalm.* Dominus regnavit *cum reliq. etc.*

Ant. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ant. Nigra sum, sed formosa, filiae Jerusalem : ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Ant. Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit, surge amica mea; et veni.

Ant. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix.

Capit. Ab initio.

Hymn. O Gloriosa Virginum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ad Benedictus.

Ant. Orietur in tenebris lux tua; et eris quasi hortus irrigans, et sicut Fons aquarum cujus non deficient aquae.

Oratio ut supra.

Et fit com. Dom. occurr.

Ad Primam.

In ℟. *brevi dicitur* Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Ant. Laeva ejus.

Capit. Ab initio.

℟. *brev.* Specie tua.

Ad Sextam.

Ant. Nigra sum.

Capit. Eccli. 24.

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei, haereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. *brev.* Adjuvabit eam.

Ad Nonam.

Ant. Speciosa.

Capit. Eccli. 24.

In plateis, sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa, dedi suavitatem odoris.

℟. *brev.* Elegit eam Deus.

In secundis Vesp. omnia ut in primis.

Ad Magnificat.

Ant. Emissiones tuae paradisus: Fons hortorum: puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.

SEPTEMBER.

DOMINICA PRIMA SEPTEMBRIS

In Conventu Caparsi

OCTAVA

SS. VIRGINIS DEI GENITRICIS MARIAE

MATRIS MISERICORDIAE

SUB PUTEI TITULO VENERATAE

Duplex minus.

Omnia in die Festo praeter lect. 1. *Noct.* de Script. occurr. *et sequent.*

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Sermone 18. *de Sanctis in medio.*

Lectio IV.

Exultat Maria, et matrem se laeta miratur, et de Spiritu Sancto se peperisse gaudet: nec quia peperit innupta, terretur: sed quia ge-

nuerit, cum exultatione miratur. O femina super feminas benedicta, quae virum omnino non novit, et virum suo utero circumdedit! Circumdat virum Maria Angelo fidem dando, quia Heva perdidit virum serpenti consentiendo. O felix obedientia, o insignis gratia! quae dum fidem humiliter dedit, caeli in se opificem corporavit. Hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodum auxit. Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Lectio V.

O Beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones: et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis.

Lectio VI.

Sit per te excusabile, quod per te ingerimus; fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus: quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te beatissima nostrorum est expectatio praemiorum. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem.



DIE VII. SEPTEMBRIS

IN FESTO

S. MACRINAE VIRGINIS ABBATISSAE

SORORIS S. BASILII MAGNI

Duplex minus.

Omnia de Comm. Virg., praeter ea, quae hic habentur propria.

Oratio.

Deus veritatis Amator, qui Beatae Macrinae Virginis ad tui nominis gloriam vota suscipere dignatus es: fac nos radios verae lucis agnoscere, et ad perpetuos charitatis tuae amplexus feliciter pervenire. Per Dominum etc.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ex Epistola S. Gregorii Nysseni ad Olympium Monachum.

Macrina sanctorum Basilii et Eumeliae filia, Magnique Basilii et Gregorii Nysseni soror,

ab ineunte aetate religiosis vitae moribus a beatis parentibus diligenter instructa, pietatem egregie coluit. Hujus mater gravida somno correpta manu gestare sibi viso est id quod adhuc intra viscera continebat, et quemdam humana specie et forma augustiorem intueri, qui Teclae celeberrimae martyris nomine filiolam appellavit. Id autem cum ter repetens testatum reliquisset, discessit. Ea vero statim somno soluta est, et partu facile levata, ut et somno simul excitata sit, et quod in quiete viderat, effectum inspexit. Is autem qui per quietem apparuerat, eam vocem pronuntiavit, non tam, ut quo nomine appellanda esset, indicaret, quam ut similitudine nominis idem ostenderet vivendi studium et institutum. Duodecimum annum cum attigisset; a Basilio patre nobili cuidam et honestissimo adolescenti despondetur, quo vita (nuptiis nondum celebratis) abeunte, numquam induci potuit, ut quae virginitatem servare in animum induxerat, alium duceret. A matris latere, quam summa observantia reverebatur, ne momento quidem temporis discedebat, eique ancillae instar ministrabat in omnibus.

℟. Propter veritatem.

Lectio V.

Patre mortuo, laborum Eumeliae matris, quibus illa praemebatur, se sociam praebens, solicitudinumque partem subjens, eam gravi molestiarum onere levabat; cui post etiam suasit, ut relicta pristinae vitae consuetudine, elatioreque vivendi modo, quas subditas et ancillas ad usus proprios adhibuerat, secum ejusdem conditionis atque ordinis esse vellet, atque una cum illis vitam cum Virginibus traduceret. Basilium fratrem ante id tempus, a publicis litterarum gymnasiis, in quibus diu versatus fuerat, domum redeuntem ad perfectionis studium adeo incendit; ut mundi posthabita claritate, despectaque eloquentiae gloria, laboriosum operosumque vivendi genus per paupertatem perfectam amplexatus, expeditam sibi ad virtutem viam extruxerit. Ipsa vero Beata Macrina vitam victu asperam, sed assiduis contemplationibus suavem ducens humi cubabat, modico cibo contenta erat, delicias suas in temperantia collocaverat, gloriam suam in eo putarat sitam, quod nota esset nemini, divitias quod nihil possideret.

℟. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

Novem circiter mensibus a Basilii fratris obitu, quem illa forti animo tulerat, in morbum incidit, quo tempore a Gregorio Nysseno fratre invisitur, qui tamdiu apud eam fuit, quamdiu animam Deo reddidit. Sub mortem vero, sponsi charitate vulnerata, ita Deum precari caepit: Tu Domine mortis metum nobis abstersisti: Tu effecisti, ut hujusce vitae finis verae nobis esset principium vitae: Tu nostra corpora ad tempus somno tradis, rursumque e somno suscitas extrema tuba: Tu mihi adhibe Angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigerii, ubi quietis est aqua, in sinu sanctorum Patrum. Haec dicens oculos, os, et cor cruce signans, vitae finem laeta expectabat. Nocte demum adveniente, cum tota in agendis Deo gratiis esset, ad praemium abiit in Caelum: Cujus corpus in eo sepulchro; in quo beatorum Parentum reliquiae quiescebant, conditum est.

℟. Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papae in Evang.
Simile est Regnum Caelorum decem Virginibus.

DIE VIII. SEPTEMBRIS

In Convent, Quintiani, Galatonae, et Martani

NATIVITATIS B. MARIÆ VIRGINIS

Titul. Eccl. Convent.

Duplex primae Classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico.

DIE XI. SEPTEMBRIS

IN FESTO

S. PANTALEONIS MARTYRIS

Semiduplex.

Omn. de Comm. un. Mart. praeter seq.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat.

Ant. Gloriosus Pantaleon coelestem Medicum toto dilexit corde, et moriens pro Christo, vivit in Coelo coronatus.

Oratio.

Deus, qui B. Pantaleonem Martyrem tuum varia tormenta superare fecisti, et pro persecutoribus exorare; concede propitius, ut qui ejus imploramus auxilium, misericordiae tuae sentiamus effectum. Per Dominum nostrum, etc.

AD MATUTINUM.

Omnia de Commun. un. Martyris, praeter sequentia.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Pantaleon Nicomediensis, Filius Eustorgii Gentilis, et Eubolae Christianae, Medicam artem ad Euphrosino didicit. Cum autem Hermolaus Praesbyter ex modestia vultus, incessu, et serenitate oculorum alte de illo judicasset, illum accersivit, et coepit in cor fluentia divinae fidei infundere. Crede mihi, dixit, Æsculapii, et Hippocratis medicamenta parva sunt, et parum prodesse possunt, qui-

nimo ipsi dii, quos colit Maximianus sunt vana omnino fabula; Unus autem solus verus Deus est Christus, in quem si credideris, ejus sola invocatione, omnes morbos fugabis. Quae verba servabat in corde, jugiter meditabatur, et suaviter allectus, ad Hermolaum, ut ad Magistrum hilaris quotidie ventitabat. Cum autem quadam die videret puerum mortuum, et prope eum viperam, quasi ostendentem, quod ei mortem intulisset, intra se dixit: Si vera sunt dicta Hermolai, invocato nomine Christi, puer iste vivet, et bellua morietur; quod, uti cogitavit, accidit, et statim infusa luce securitatis, omnis caligo discessit, et benedicens Deum, aestuansque desiderio sacri Baptismi, ab Hermolao gaudens suscepit.

℟. Honestum fecit etc.

Lectio V.

Non multo post caeco visum restituit, et Patri Eustorgio tenebras impietatis solvit, qui Idola calcans, et verum Deum confessus, baptizatur. Mortuo Patre, egenis opem, et languentibus sanitatem largiebatur; quare ad Maximianum defertur, qui primum honore, et blanditiis attrahere studet, deinde minatur mortem, et dira supplicia, si diis non offerat sacrificium; sed cum omnia invicto animo respueret, in ligno suspenditur, ferreis laniatur

ungulis, et lampades ignis lateribus ejus admoventur: at illi oranti apparuit Christus dulcibus verbis illum recreans, et illico laxatae sunt manus lictorum, extinctae lampades, et plumbum liquatum, in quod postmodum, Tyranno jubente, injectus fuit in naturalem mutatur frigiditatem. Sed quid non tentat ingeniosa crudelitas! Mandat ingentem lapidem collo alligari, sicque in mare demitti: sed lapis non secus, ac folium leve supernatat, et Pantaleon firmiter super undas graditur. Non cessit tantis prodigiis Tyranni obcoecata mens, sed feris insanior jubet ad feras produci. Crudele spectaculum! sed spectabili Coelo confluxit tota Civitas: congrediuntur cum Athleta ferae, illae tamquam ratione utentes, et indutae humanitatem, quam exuerat Imperator, reverenter ad Martyrem accedunt, blandiuntur, pedesque illius lingua tangentes, veluti contendebant, quaenam prima ad eum accederet, et non prius recederet, quam Martyr ei manum imposuisset, ac benedixisset.

℟. Desiderium animae etc.

Lectio VI.

Quo viso, clamabant multi: dimittatur justus, magnus est Deus Christianorum, qui quidem solus, et verus est. Sed Maximianus nec edoctus a feris pietatem, nec tanto lu-

mini cedens, imperat, Pantaleon in locum editum ferri, et rotae alligatum in praeceps per declive demitti: at rota ultrice, et plures deorum opprimente cultores, illaesus evasit: quare gladio occidi jussit. Accessit lictor, oleae plantae illum alligat, sed cum exequeretur ictum, conversa fuit ferri acies cerae similis, quo miraculo stupefacti lictores ad pedes Martyris provoluti veniam precantur, Christum aperte confitentes. Sed tandem ne periret gloria martyrii, caput abscinditur, et statim lac pro sanguine fluxit, et planta oleae, cui alligatus fuerat, fructibus onusta apparuit. Cum autem quidam fideles convenissent, Sacrum Corpus in Suburbano cujusdam Scholastici reverenter reponunt, et quem in vita tantis prodigiis Dominus illustraverat, post obitum innumeris decoravit: Inter quae praeclarum illud quod sacer ejus cruor, qui in ampulla servatur Ravelli in Regno Neapolitano et Romae, in primis Vesperis festi, usque ad diem sequentem, in quo Ecclesia celebrat ejus martyrium, cum coagulatus ante existat, mirum in modum liquefieri, et undequaque fluidum moveri, cunctis cernentibus quotannis conspicitur; quod etiam accidit in portione sanguinis; qui in Monasterio Regali Incarnationis Monialium Sancti Augustini Matriti inter pretiosiora pignora asservatur.

℟. Stola jucunditatis etc.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Hilarii Episc. in Evangel. Nihil est opertum, *ut in Festo S. Polycarpi die* 26 *Januar.*

AD LAUDES; ET PER HORAS.

Ant. In tormentis apparuit Christus Pantaleonem mira dulcedine perfundens.

Psalm. Dominus regnavit, *cum rel. de Dom.*

Ant. Ego enim, ait Christus, in habitu Hermolai, tecum sum in omnibus, quae propter me pateris.

Ant. Cum pro lictoribus exoraret, audivit de Coelo: ultra non vocaberis Pantaleon, sed Pantaleemon, idest misericors, quia multi per te misericordiam consequentur.

Ant. Lac, et cruorem Martyris collum fudit, pro quo cruorem, et aquam Christus fuderat.

Ant. Pantaleon variae cruciatus jugiter canebat: Saepe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi.

Capit. Hymn. et ℣. de Communi unius Martyris.

Ad Benedictus.

Ant. Dixit Maximianus Pantaleoni: Quaenam est ars praestigiarum, quae tibi extinxit

lampades et Satellitibus vires abstulit? Ad quae respondit: Meae praestigiae Christus est.

Oratio ut supra.

IN II. VESPERIS.

Ad Magnificat.

Ant. Recordatus fuit misericordiae Domini, et in conspectu astantium factus est illi adjutor.

DIE XII. SEPTEMBRIS

IN FESTO

S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

CONFESSORIS PONTIFICIS

Duplex majus.

Omnia de comm. Conf. Pontif. praeter ea, quae hic habentur propria.

Oratio.

Deus, qui per B. Alphonsum Mariam Confessorem tuum, atque Pontificem animarum zelo succensum Ecclesiam tuam nova prole foecundasti: quaesumus, ut ejus salutaribus monitis edocti, et exemplis roborati, ad Te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum etc.

Lectiones I. *Nocturni de* I. *loco.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Alphonsus Maria de Ligorio Neapoli nobilibus Parentibus natus, ab ineunte aetate non obscura praebuit sanctitatis indicia. Eum adhuc infantem cum Parentes obtulissent B. Francisco de Hieronymo e Societate Jesu, is bene precatus edixit, eumdem ad nonagesimum usque annum perventurum, ad Episcopalem dignitatem evectum iri, maximoque Ecclesiae bono futurum. Jam tum a pueritia a ludis abhorrens nobiles ephebos ad Christianam modestiam verbo, et exemplo componebat. Adolescens, dato piis sodalitatibus nomine, in publicis nosocomiis aegrotis inservire, jugi in templis orationi vacare, ac sacra Mysteria frequenter obire in deliciis habebat. Pietatem litterarum studiis adeo conjunxit, ut sex decim vix annos natus utriusque Juris lauream in patria universitate fuerit assequutus. Patri obtemperans, causarum patrocinia suscepit, in quo munere obeundo etsi magnam sibi laudem comparasset; fori tamen pericula expertus, ejusmodi vitae institutum ultro dimisit. Spreto igitur praeclaro conjugio sibi a Patre proposito, avita primogenitura abdicata, et

ad Aram Virginis de Mercede, ense suspenso, divinis ministeriis se mancipavit. Sacerdos factus tanto zelo irruit in vitia, ut Apostolico munere fungens, huc illuc pervolans, ingentes perditorum hominum conversiones perageret. Pauperum praesertim, et ruricolarum miseratus Congregationem Presbyterorum instituit SS. Redemptoris, qui ipsum Redemptorem secuti, per agros, pagos, et castella pauperibus evangelizarent.

Lectio V.

Ne autem a proposito umquam diverteret, perpetuo se voto obstrinxit nullam temporis jacturam faciendi. Hinc animarum zelo succensus tum divini verbi praedicatione, tum scriptis sacra eruditione, et pietate refertis animas Christo lucrifacere, et ad perfectiorem vitam adducere studuit. Mirum sane quot odia extinxerit, quot devios ad rectum salutis iter revocaverit. Dei Genitricis cultor eximius, de illius laudibus librum edidit, ac de iis, dum ferventius concionando disserit, a Virginis imagine, in eum immisso miro splendore, totus facie coruscare, et in extasim rapi coram universo populo non semel visus est. Dominicae Passionis, et sacrae Eucharistiae contemplator assiduus, ejus cultum mirifice propagavit. Dum vero ad ejus Aram oraret, vel Sacrum face-

ret, quod numquam omisit, prae amoris vehementia, vel seraphicis liquescebat ardoribus, vel insolitis quatiebatur motibus, vel abstraebatur a sensibus. Miram vitae innocentiam, quam nulla umquam lethali labe foedavit, pari cum poenitentia socians, corpus suum inedia, ferreis catenis, ciliciis, cruentaque flagellatione castigabat. Inter hac prophetiae, scrutationis cordium, bilocationis, et miraculorum donis inclaruit.

Lectio VI.

Ab Ecclesiasticis dignitatibus sibi oblatis constantissime abhorruit. At Clementis decimi tertii Pontificis auctoritate coactus S. Agathae Gothorum Ecclesiam gubernandam suscepit. Episcopus externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Eadem frugalitas, sommus Christianae disciplinae zelus, impensum in vitiis coercendis, arcendisque erroribus, et in reliquis pastoralibus muneribus obeundis studium. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiae proventus iisdem distribuebat, ac urgente annonae caritate ipsam domesticam supellectilem in alendis famelicis erogavit. Omnibus omnia factus, Sanctimoniales ad perfectiorem vivendi formam redegit, suaque Congregationis Monialium Monasterium constituendum curavit. Episcopatu ob graves,

habitualesque morbos dimisso, ad Alumnos suos, a quibus pauper discesserat, revertitur pauper. Demum quamvis senio, laboribusque, diuturna arthritide, aliisque gravissimis morbis fractus corpore, spiritu tamen alacrior de caelestibus rebus disserendi, aut scribendi finem numquam adhibuit; donec nonagenarius Kalendis Augusti anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo Nuceriae Paganorum inter suorum Alumnorum lacrymas placidissime expiravit. Eum inde virtutibus, et miraculis clarum, Pius Septimus Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo decimo sexto Beatorum fastis adscripsit. Eumdem vero novis fulgentem signis, Gregorius Papa XVI, anno millesimo octigentesimo trigesimo nono, solemni ritu, Dominica Sanctissimae Trinitatis, in canonem Sanctorum retulit.

Lectiones III. Nocturni de communi Evangelistarum Designavit Dominus etc.

DIE XIX. SEPTEMBRIS

S. JANUARII EPISCOPI ET MARTYRIS

Patroni Princip. Civit. et Regni Neapolis

Duplex primae Classis

(sine Octava apud nos (1))

Omn. de comm. un. Mart. praeter seq.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat.

Ant. Beatus Januarius, Praesul et Martyr inclytus, extinxit impetum ignis, obturavit ora ferarum, et in occisione gladii pro Christo mortuus, legitimi certaminis coronam accepit.

Oratio.

Deus, qui per Beati Januarii Martyris tui atque Pontificis confessionem et sanguinem, admirabili testimonio ac triumpho Ecclesiae tuae fidem illustrare dignatus es: quaesumus, ut ejusdem nos Fidei consortio et patrocinio munitos, triumphi etiam et gloriae participes efficias. Per Dominum etc.

---

(1) De ejusdem *Translatione*, aut *Patrocinio*, nihil etiam apud nos, ex S.R.C. Decreto recentissimo. Et ita de Ss. Orontio, Nicolao etc. etiam Patroni princip. excepto tamen S. Joseph Sp. B. M. V. etc.

IN I. NOCTURNO.

Lect. A Mileto *de com. un. Mart. Pont.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Januarius Beneventi Episcopus, Diocletiano et Maximiliano in Christianos saevientibus, ad Timotheum Campaniae Praesidem ob Christianae Fidei professionem Nolam perducitur. Ibi ejus constantia varie tentata, in ardentem fornacem conjectus, ita illaesus evasit, ut ne vestimentum aut capillum quidem flamma violaverit. Hinc Praeses accensus iracundia, Martyris corpus imperat usque eo distrahi, quoad nervorum compages artuumque solvantur. Festus interea ejus Diaconus, et Desiderius Lector comprehensi, vinctique, una cum Episcopo ante rhedam Praesidis Puteolos perthrahuntur, et in eumdem carcerem, in quo Sosius Misenas, et Proculus Puteolanus Diaconus, Euthyches, et Acutius laici ad bestias damnati detinebantur, simul conjiciuntur.

℟. Honestum etc.

Lectio V.

Postero die omnes in amphiteatro feris objecti sunt: quae naturalis oblitae feritatis ad Januarii pedes se prostravere. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens, cum sententiam capitis in Christi Martyres pronuntiasset, oculis repente captus, orante mox Beato Januario, lumen recepit: quo miraculo, hominum millia fere quinque Christi fidem susceperunt. Verum ingratus Judex nihilo placatior factus beneficio, sed conversione tantae multitudinis actus in rabiem; veritus maxime Principum decreta, Sanctum Episcopum cum Sociis gladio percuti jussit.

Lectio VI.

Horum corpora finitimae urbes, pro suo quaeque studio certum sibi patronum ex iis apud Deum adoptandi, sepelienda curarunt. Januarii corpus Neapolitani divino admonitu extulere: quod primo Beneventum, inde ad Monasterium Montis Virginis, prostremo Neapolim translatum, et in majori Ecclesia conditum, multis miraculis claruit. Sed illud in primis memorandum, quod erumpentes olim e monte Vesuvio flammarum globos, nec vicinis modo, sed longinquis etiam regionibus vastitatis metum afferentes, extinxit. Praecla-

rum illud quoque, quod ejus Sanguis, qui in ampulla vitrea concretus asservatur, cum in conspectu Capitis ejusdem Martyris ponitur, admirandum in modum colliquefieri et ebullire, perinde atque recens effusus, ad haec usque tempora cernitur.

℟. Stola etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 11.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.
Homil. 34. in Matth. post init.

Cum Dominus omnem solicitudinem a discipulorum cordibus ejecerit, et ostensione signorum armaverit, atque ab omnibus negotiis saecularibus alienatos, et ab omni temporalium rerum cura liberatos, ferreos quodammodo atque adamantinos fecerit, tum denique eventura illis adversa praedicit. Multa enim ex hac praedictione futurarum rerum commoda consequebantur. Primum, ut ejus

praescientiae vim edisceret. Deinde, ut nemo suspicaretur ex magistri infirmitate tam gravia mala descendere. Praeterea, ne qui ea passuri erant, subito ac inopinato rerum eventu perturbarentur. Denique, ne cum ista sub ipsum passionis suae tempus audirent, nimium commoverentur.

℟. Corona etc.

Lectio VIII.

Jam vero, ut intelligant novum hoc esse belli genus, et insolitum praeliandi morem, cum illos nudos mitteret, una indutos tunica, sine calceis, absque virga, et absque zona et pera, et ab excipientibus ali juberet: non fecit hic dicendi finem, sed inexplicabilem virtutem suam proferens; etiam sic euntes, inquit, mansuetudinem tamen ovium ostendite, quamvis ad lupos ituri, nec simpliciter ad lupos, sed etiam in medio luporum. Neque vero ovium tantum mansuetudinem habere jubet, sed etiam columbae simplicitatem: sic enim virtutem meam maxime ostendam, cum ab ovibus lupi superabuntur; et quamvis illae sint in medio luporum et innumeris morsibus lacerentur, non modo non consumptae fuerint, verum etiam illos in sui naturam transmutaverint.

℟. Hic est etc.

Lectio IX.

Majus certe atque admirabilius est mentem adversariorum commutare, et animum in diversum transferre, quam illos occidere: praesertim cum duodecim tantum essent, et lupis plenus esset orbis universus. Erubescamus igitur, qui longe diversa facientes, tamquam lupi in adversarios ruimus. Nam quamdiu oves fuerimus, vincimus, etiamsi mille circumstent lupi, superamus et victores sumus: quod si lupi fuerimus, vincimur. Tunc enim a nobis pastoris auxilium recedit, qui non lupos, sed oves pascit.

℟. Te Deum etc.

Ad Benedictus.

Ant. Igne me, Domine, examinasti, et non est inventa in me iniquitas: propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

IN II. VESPERIS.

Ad Magnificat.

Ant. Liberasti me, Domine, a rugientibus praeparatis ad escam, et a pressura flammae, quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestuatus.

OCTOBER.

DOMINICA SECUNDA OCTOBRIS

IN FESTO

MATERNITATIS B. M. VIRGINIS

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Beata es Virgo Maria, *cum reliq. de Laud.*

Psalm. consueti de B. M. V., ut in ejus Offic. parvo.

Capitulum. Eccl. c. 24.

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi, in Jacob inhabita, et in electis meis mitte radices.

Hymnus. Ave maris stella, *ut in Officio parvo.*

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Ad Magnificat.

Ant. Cum jucunditate Maternitatem Beatae Mariae semper Virginis celebremus.

Oratio.

Deus, qui de Beatae Mariae Virginis utero, Verbum tuum Angelo nuntiante carnem suscipere voluisti, praesta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Dominum nostrum etc.

Deinde fit commem. Dom. occur.

In fine Hymnor. Compl. et Horar. dicitur Jesu, tibi sit gloria etc.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Maternitatem Beatae Mariae Virginis celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psalm. Venite exultemus etc.

Hymnus.

Coeli Redemptor praetulit
Felicis alvum Virginis
Ubi caduca membra
Mortale corpus induit.

Haec Virgo nobis edidit
Nostrae salutis auspicem,
Qui nos redemit Sanguine
Poenas, crucemque pertulit.
Spes laeta nostro e pectore
Pellat timore anxios
Haec quippe nostras lacrymas
Precesque defert Filio.
Voces parentis excipit,
Votisque natus annuit,
Hanc quisque semper diligat,
Rebusque in arctis invocet.
Sit Trinitati gloria,
Quae Matris intactum sinum
Ditavit almo germine
Laus sit per omne saeculum. Amen.

Antiph. et Psalmi Noct. ut in ejus Officio parvo.

℣. Specie tua, et pulchritudine tua.
℟. Intende, prospere procede et regna.

IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiastici.

Lectio I. Cap. 24.

Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in Coelis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi

omnem terram. Ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis. Gyrum Coeli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi: in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti, et in omni populo et in omni gente primatum habui, et omnium excellentium, et humilium corde virtute calcavi: et in his omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor.

℟. Felix es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Ex qua ortus est sol justitiae Christus Deus noster, per quem salvati, et redempti sumus.

℣. Maternitatem Beatae Mariae Virginis cum gaudio celebremus. Ex qua.

Lectio II.

Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: in Jacob inhabita et in Israel haereditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. Sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris: * Qui Coelum terramque regit, in tua se clausit viscera factus homo.

℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Qui coelum.

Lectio III.

Quasi caedrus exaltata sum in Libano et quasi cypressus in monte Sion quasi palma exaltata sum in Cades et quasi plantatio rosae in Jericho. Quasi oliva speciosa in Campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris, et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi libanus non incisus vaporavi habitationem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. Ego quasi therebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris, et gratiae. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris.

℟. Multae filiae congregaverunt divitias: tu supergressa es universas: * Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis Sancta Dei Genitrix.

℣. Sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam Sanctam Maternitatem. Speciosa. Gloria Patri. Speciosa.

IN II. NOCTURNO.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.
℟. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ex Sermone Sancti Leonis Papae.

Serm. 8. *de Nativit. Domini.*

Lectio IV.

Virgo regia Davidicae stirpis eligitur, quae, sacro gravidanda foetu, divinam, humanamque prolem, prius conciperet mente, quam corpore, et ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret affatus, quod in ea operandum erat a Spiritu Sancto, colloquio didicit Angelico, nec damnum credidit pudoris Dei Genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novitate desperet, cui efficentia de Altissimi virtute promittitur? Confirmatur credentis fides etiam praecunctis attestatione miraculi. Donatur Elisabeth inopinata fecunditas, ut qui conceptum dederat sterili, daturus non dubitaretur et Virgini. Verbum igitur Dei Filius, qui in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, propter liberandum hominem ab aeterna morte factum est homo.

℟. Gloriosae Virginis Mariae Maternitatem dignissimam recolamus. * Cujus Dominus humilitatem respexit, quae, Angelo nuntiante, concepit Salvatorem Mundi.
℣. Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate mirabilis Genitricis Dei. Cujus.

Lectio V.

Sermone 2. de Nativit. Domini.

Ingreditur haec infima Jesus Christus Dominus noster de Coeli sede descendens, et a paterna gloria non recedens novo ordine, nova nativitate generatus. Novo ordine, quia invisibili in suis, visibilis factus est in nostris: incomprehensibilis voluit comprehendi, ante tempora manens esse coepit in tempore. Nova autem nativitate genitus est, conceptus a Virgine, natus ex Virgine, sine paternae carnis concupiscentia, sine maternae integritatis injuria; quia futurum hominum Salvatorem talis ortus decebat, qui et in se haberet humanae substantiae naturam, et humanae carnis inquinamenta nesciret. Origo dissimilis, sed natura consimilis: humano usu et consuetudine, quod credimus, caret; sed Divina potestate subnixum est, quod Virgo conceperit, Virgo pepererit, Virgo permanserit.

℟. Benedicta filia tua Domino, quia per te fructum vitae comunicavimus: * Sola sine exemplo placuisti Domino Jesu Christo.

℣. Nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, et à periculis cunctis libera nos sancta Dei Genitrix. Sola.

Lectio VI.

Oportuit ut primam Genitricis integritatem nascentis incorruptio custodiret, et complacitum sibi claustrum pudoris, et sanctitatis hospitium Divini Spiritus virtus infusa servaret, que statuerat dejecta erigere, confracta solidare, et superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiae donare virtutem; ut Virginitas, quae in aliis non poterat salva esse generando, fieret aliis imitabilis renascendo. Hoc ipsum autem quod Christus nasci eligit ex Virgine, nonne apparet altissimae fuisse rationis? ut scilicet humano generi natam salutem diabolus ignoraret, et spirituali latente conceptu, quem non alium videret, quia alios, non aliter crederet natum esse quam caeteros. Quod ut fieret, editus est Christus ex Virgine, quam Spiritus Sanctus faecundavit: et cum in omnibus matribus non fiat sine peccati sorde conceptio, haec inde purgationem traxit; unde concepit.

℟. Benedicta inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui: * Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?
℣. Respexit humilitatem Ancillae suae, et fecit mihi magna qui potens est. Gloria Patri. Unde.

IN III. NOCTURNO.

℣. Fecit mihi magna, qui potens est.
℟. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 3.

In illo tempore: Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt Parentes ejus. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homilia 1. de laudibus Virginis Matris.

Deum, et Dominum Angelorum Maria suum Filium appellat, dicens; Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis, et pro magno habent quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sint, et vocati Angeli testante David: Qui facit An-

gelos suos spiritus. Maria vero Matrem se agnoscens, Majestatem illam, cui illi cum reverentia servirent, cum fiducia suum nuncupat Filium: nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paullo post subdit Evangelista. Et erat subditus illis. Quis? quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, et Potestates obediunt, subditus erat Mariae.

℟. Beata es, Virgo Maria Dei Genitrix, quae credidisti Domino: perfecta sunt in te, quae dicta sunt tibi: * Propterea benedixit te Deus in aeternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis: intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Propterea.

8. *Bened*. Cujus Festum colimus, ipsa Virgo Virginum etc.

Lectio VIII.

Mirare utrumlibet, et elige, quod amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrique miraculum. Et quod Deus feminae obtemperat humilitas absque exemplo: et quod Dei femina principatur sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocumque ierit. Quibus ergo laudibus judicas dignam,

quae etiam praeit? Disce homo obedire, disce terra subdidisce pulvis obtemperare? De Auctore tuo loquens Evangelista. Et erat, inquit, subditus illis. Erubesce superbe cinis. Deus se humiliat, et tu te exaltas. Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te praeponis Auctore. Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas, qua non temeravit, sed honoravit faecunditas. Et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit faecunda Virginitas: et incomparabilis prorsus faecunditas, quam virginitas simul comitatur et humilitas. Quid horum non mirabile? quid non incomparabile? quid non singulare? Virum vero si non haesitas in horum ponderatione, quid tua judices dignius admiratione, utrum videlicet potius stupenda sit faecunditas in Virgine, an in Matre integritas; sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas. Nisi quod indubitanter horum singulis praeferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est atque felicius omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirabilis cernitur, et legitur in Sanctis suis, mirabilem se exhibuit in Matre sua? Veneramini, ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: Vos sacrae virgines in Virgine faecunditatem. Imitamini omnes homines Dei Matris humilitatem.

℟. Congratulamini mihi omnes: qui diligitis Dominum, qui cum essem parvula placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum, et hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam respexit Deus. Et. Gloria Patri. Et.

Nona Lect. Hom. de Dom. occ.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Ant. Beata es Virgo Maria, quae omnium portasti Creatorem.

Psalm. Dominus regnavit *cum reliq. de Dom.*

Ant. Genuisti qui te fecit et in aeternum permanes Virgo.

Ant. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam humilem respexit Dominus.

Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam.

Capit. ut in primis Vesp.

Hymnus.

Te Mater alma Numinis
Oramus omnes supplices
A fraude nos ut Daemonis
Tua sub umbra protegas.

Ob perditum nostrum genus,
Primi parentis crimine
Ad inclytum Matris decus
Te Rex supremus extulit.
Clementer ergo prospice
Lapsis Adami posteris:
A te rogatus Filius
Deponat iram vindicem.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine.
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Germinavit radix Jesse: orta est stella ex Jacob.

℟. Virgo peperit Salvatorem: te laudamus Deus noster.

Ad Benedictus.

Ant. Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam admirabilem Maternitatem.

Oratio. Deus qui de Beatae *ut in* 1. *Vesp.*

Deinde fit com. Dom. occur.

Ad Primam in ℟. *brev.* ℣. Qui natus es.

Ad Tertiam vero, et alias Horas Capit. et ℟℟. *brev. ut ad Nives.*

In II. Vesp. omnia ut in primis praeter seq.

Ad Magnificat.

Ant. Maternitas tua Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo Mundo : ex te enim ortus est sol justitiae Christus Deus noster.

Oratio. Ut in primis Vesp.

Deinde fit com. Dom. occurr.

DOMINICA SECUNDA OCTOBRIS

In Conventu Uriae

DEDICAT. ECCLESIAE CATHEDRALIS

Duplex secundae Classis.

(Dies fixa)

Officium de com. Dedicat. Ecclesiae ut in Breviario, et fit Lect. et com. Domin. etc.

Officium autem Maternitatis B. M. V. fit in aliqua die non impedita juxta Rubricas.

DOMINICA TERTIA OCTOBRIS

IN FESTO

PURITATIS B. M. VIRGINIS

Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Sicut lilium inter spinas *cum reliquis de Laud. Psalmi consueti de S. M. ut in ejus Offic. parvo.*

Capitulum. Sap. c. 4.

O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est, et apud homines.

Hymnus.

Praeclara Custos Virginum
Intacta Mater Numinis
Coelestis aulae janua
Spes nostra: Coeli gaudium.
Inter rubeta lilium
Columba formosissima
Virga e radice germinans
Nostro medelam vulneri;

Turris dragoni impervia,
Amica Stella naufragis,
Tuere nos a fraudibus
Tuaque luce dirige.
Erroris umbras discute,
Syrtes dolosas amove
Fluctus tot inter, deviis
Tutam reclude semitam.
Jesu, tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Haec conclusio dic. in fine omnium Hymn.

℣. Cum jucunditate Virginitatem Beatae Mariae semper Virginis celebremus.

℟. Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum.

Ad Magnificat.

Ant. Nihil inquinatum in eam incurrit: candor est lucis aeternae, et speculum sine macula.

Oratio.

Da quaesumus omnipotens aeterne Deus, ut purissimae Virginis Mariae integerrimam Virginitatem festiva celebritate venerantes, ejus intercessione, puritatem mentis et corporis consequamur. Per Dominum etc.

Deinde commem. Dom.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Virginitatem Deiparae celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.
Psalm. Venite etc.

Hymnus.

O Stella Jacob fulgida
O Solis instar splendida
Aurora qua nil purius
Refulget inter sidera;
Stolis amictae candidis
Tibi catervae Coelitum
Plaudunt; sacraeque Virgines
Laudes perennes concinunt.
Quin obsequentes offerunt
Ligustra et alba lilia:
Candor sed horum vincitur
Candore casti pectoris.
Nostra Angelorum laudibus
Abjecta tellus assonans
Ad astra voces esterat
Et Virginis praeconia.
Jesu tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

Ant. et Psalmi Noct. ut in ejus Officio parvo.

℣. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

℟. Et innumerabilis honestas per manus illius.

IN I. NOCTURNO.

De Canticis Canticorum.

Lectio I. Cap. 2.

Ego flos campi, et lilium convallium. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Vox dilecti mei, ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens colles, similis est dilectus meus capreae hinnulloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En di-

lectus meus loquitur mihi : surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni.

℟. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia: * Pulchra es amica mea, suavis, et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

℣. Una est columba mea, perfecta mea. Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt. Pulchra.

Lectio II. Cant. c. 4.

Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum quae ascenderunt de monte Galaad, dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreae gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbrae vadam ad montem mirrhae, et ad collem thuris. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.

℟. Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni: * Jam hiems transiit, imber abiit et recessit: flores apparuerunt in terra nostra.

℣. Surgam et circuibo civitatem; per vicos, et plateas quaeram, quem diligit anima mea. Jam.

Lectio III. Eodem c. 4. 2.

Veni de Libano Sponsa mea; veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanim, et Hermon, de cubili leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, Soror mea Sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum, in uno crine colli tui. Quam pulchrae sunt mammae tuae, Soror mea Sponsa! Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa, mel, et lac sub lingua tua et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Hortus conclusus; Soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

℟. Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. * Qualis est dilectus tuus, o pulcherrima mulierem?

℣. Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Talis est dilectus meus,

ipse est amicus meus filiae Jerusalem. Qualis Gloria Patri. Qualis.

IN II. NOCTURNO.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.
℟. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Ex libro S. Ambrosii Episcopi de Virginibus.

Lectio IV. Lib. 2. post initium.

Sit vobis tamquam in imagine descripta Virginitas, vitaeque Beatae Mariae, de qua, velut in speculo, refulget species castitatis, et forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla vivendi: ubi, tamquam in exemplari, magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor nobilitas est Magistri. Quid nobilius Dei Matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quae corpus sine corporis contagione generavit?

℟. Beatissima Virgo Maria hortus conclusus, fons signatus, Regina Angelorum, Domina Mundi; * Per quam Deus descendit in terras, ut homines ascendere mererentur ad Coelos.
℣. Ad te clamamus exules filii Evae: recordare nostri Sanctissima Virgo. Per.

Lectio V.

De ceteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum. Corde umiles, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere: Nullum laedere; bene velle omnibus, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem.

℟. Beata Maria tanta extitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur. * Deus, quam elegerat, creavit, de qua crearetur elegit.

℣. Ipsa est stella ex Jacob; cujus radius universum orbem illuminat. Deus.

Ex S. Petro Chrysologo.

Lectio VI. Serm. 142.

Haec dedit Coelis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitiis, vitae ordinem, moribus disciplinam. Gratiam quam detulit Angelus, accepit Virgo, salutem saeculis redditura. Vere benedicta Virgo, quae et Virginitatis possidet decus, et Matris dignitatem: vere benedicta, quae et superni conceptus

meruit gratiam, et servavit integritatis coronam. Vere benedicta, quae et Divini Germinis suscepit gloriam, et Regina extitit totius castitatis.

℟. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus Sanctus superveniet in te: * Virtus Altissimi obumbrambit tibi, ideoque. * Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.

℣. Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Virtus. Gloria Patri. Quod.

IN III. NOCTURNO.

℣. Invenisti gratiam apud Deum.
℟. Sancta Dei Genitrix Virgo Immaculata.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. c. 1.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Galileae cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homil. 2. super Missus est.

Novum canticum illud, quod solis dabitur in Regno Dei cantare Virginibus, ipsam Virginum Reginam, immo primam inter ceteras esse cantaturam, nemo est, qui ambigat. Puto autem illam, praeter illud, quod solis licet, cum omnibus tamen Virginibus ei, ut dixi, comune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine laetificaturum esse Civitatem Dei. Hujus itaque dulcis onos deponere vel exprimere modulos ne ipsarum quidem Virginum ulla digna invenietur, quia merito decantandum servabitur illi, quae sola de partu, et partu divino gloriatur. Gloriatur, dixi, de partu, non in se sed in ipso, quem peperit. Deus siquidem, Deus enim est, quem peperit, et qui Matrem suam in Coelestibus donaturus gloria singulari, in terris prevenire curavit et gratia qua videlicet ineffabiliter et intacta conciperet, et pareret incorrupta.

℟. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet: * Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.

℣. Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Ecce.

Lectio VIII.

Deum hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret, nisi Deum. Proinde Factor hominum, ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, immo condere Matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit de qua mitis, et humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus, saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit Virgini partum, qui ei jam ante et virginitatis inspiraverat votum, et humilitatis praerogaverat meritum. Ut igitur, quae Sanctum Sanctorum conceptura erat pariter et paritura, Sancta esset corpore, accepit donum virginitatis, ut esset et mente, accepit donum humilitatis. O admirabilem, et omni honore dignissimam Virginem! O feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posterorum vivificatricem! Missus est Angelus ad Virginem, Virginem carne, Virginem mente, Virginem professione, Virginem denique qualem describit Apostolus, mentem et corpore sanctam. Nec noviter, nec fortuito inventam, sed a saeculo electam,

ab Altissimo praecognitam, et sibi praeparatam, ab Angelis servatam; a Patribus praefiguratam, a Prophetis promissam.

℟. Beata Dei Genitrix Maria, Templum Domini, Sacrarium Spiritus Sancti: * Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

℣. Genuisti, qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo. Sola. Gloria Patri. Sola.

Nona Lectio Homil. Dominicae occurr.

Te Deum laudamus etc.

AD LAUDES, ET PER HORAS.

Ant. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Psalm. Dominus regnavit *cum reliqu. de Domin.*

Ant. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.

Ant. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es!

Ant. Una est columba mea, perfecta mea.

Ant. Viderunt eam filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt.

Capit. O quam pulchra est, *ut in Vesperis.*

Hymnus. O Gloriosa Virginum, *ut in Officio parvo B. M. V.*

℣. Specie tua et pulchritudine tua.
℟. Intende prospere procede, et regna.

Ad Benedictus.

Ant. Sancta, et immaculata Mariae Virginitas, quibus te laudibus, efferam nescio, quia per te Redemptorem nostrum suscepimus Dominum nostrum Jesum Christum.

Orat. Da quaesumus, *ut supr. Deinde fit com. Dom. occ.*

Ad Horas Ant. et Orat. ut in Laudib. rel. ut in Off. B. M. V. ad Nives.

Ad Primam in ℟. Qui natus es.

In 2. Vesp. omnia ut in primis.

Ad Magnificat.

Ant. Beata Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, Sacrarium Spiritus Sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo.

Deinde fit com. Dominicae occ.

DIE VI. OCTOBRIS

IN FESTO

BEATAE MARIAE FRANCISCAE

A VULNERIBUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI VIRGINIS

TERTII ORD. N. DISCALCEAT.

Duplex majus.

Omnia de communi Virg. praeter sequ.

Oratio.

Domine Jesu, qui Beatam Mariam Franciscam Virginem inter ceteras dotes in Mundi contemptu mirabilem effecisti; ejus quaesumus meritis, et intercessione concede nobis terrena despicere, et caelestia semper inquirere. Qui vivis, et regnas etc.

Lect. I. Noct. de primo loco.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Maria Francisca a quinque Vulneribus Jesu Christi honestis parentibus Neapoli orta ab

ipsa pene infantia sanctitatis indicia praebuit. Adhuc enim puella Angelorum Panem esuriebat, et Christi Domini cruciatus mente revolvens, grati animi sensu et moerore afficiebatur. Septennis ex Sacerdotis consilio qui ei a sacris confessionibus erat, Eucharistia refecta Deo prorsus adhaesit. Quum sextum decimum annum ageret coelestem Sponsum anhelans, nulla vi, nulla ratione adduci potuit, ut divites nuptias iniret. Igitur aliquanto post, assentiente Patre, domi suae Tertii Ordinis S. Francisci habitum induit ex Institutis S. Petri de Alcantara, ac religiosa vota nuncupavit.

Lectio V.

Suscepti Instituti leges quamvis rigidas perbelle implevit, et corpus suum uti hostem dure habuit. Jejuniis enim, vigiliis, flagellis asperrimisque ciliciis ipsum atterebat, licet infirma valetudine, et aliquando etiam labori obnoxia; quo sibi, et Sororibus consuleret. Neque noctu quieti se dabat, quum brevem somnum caperet super duas tabulas ovina tantum pelle contectas. Adeo vero pati exoptabat, ut ingravescente aetate, morbisque attrita aegre in commodiori lecto jacuerit, quo Medicorum, ac spiritus sui moderatoris jussa perficeret. Modico pane vescebatur, cui ad-

debat absinthium. Æquo animo injurias hominum, et convicia, doemonum vexationes perferebat.

Lectio VI.

Virginitatem ita coluit, ut eam Dei ope suffulta ab impudentium insidiis, atque aperta vi intactam servaverit, et jucundum saepe spiraret odorem. Ejus cor divini amoris igne ita aestuabat, ut duas costas perfregerit. Coelestibus rebus intenta frequenter in extasim est rapta, et quandoque e terra sublata. Deiparam Virginem uti matrem ex animo habebat, et impense venerabatur. Ægros, inopes vexatos, qua poterat ratione, reficiebat, solabatur, ac flagitiosos homines qua hortatu, qua ad Deum effusa prece ad bonam frugem reducebat. Supernis licet cumulata donis ita de se abjecte sentiebat, ut multis culpis obnoxiam, ac se dignam profiteretur quam Deus in nihilum redigeret. Diutinis tandem absumpta morbis patientissime latis ad Coelestem Sponsum migravit pridie nonas Octobris annos nata septuaginta septem. Eam post mortem prodigiis claram Gregorius XVI Pontifex Maximus, anno millesimo octingentesimo quadragesimo tertio, inter Beatas Virgines recensuit.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones Homilia in Evang. *Simile est... decem Virginibus* : de communi.

DIE VII. OCTOBRIS

S. BRUNONIS CONFESSORIS

Duplex minus.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico.

DIE VII. OCTOBRIS

In Conventu Baruli

S. MARIAE DE VICTORIA

Titul. Eccl. ejusd. Conventus.

Duplex primae Classis cum Octava.

Offic. ut *ad Nives*, et in Festo Sacratissimi Rosarii etc.

DIE X. OCTOBRIS

S. FRANCISCI BORGIAE CONFESSORIS

Duplex secundae Classis.

Offic. de com. non Pont. Lect. 1. noct. de primo loco 2. noct. pr. 3. noct. de com. Abb.

DIE XIV. OCTOBRIS

In Conventu Baruli

Octava

S. MARIAE DE VICTORIA ETC.

Duplex minus.

Offic. ut in Festo Lect. 1. noct. *de Scriptura occurr.* 2. noct. De Exposit. S. Gregorii Papae : *Fuit vir:* pag. 4. in hoc Libello.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 11.

In illo tempore : Loquente Jesu ad turbas : extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

In Joann. cap. 2. Hom. 20. circa finem.

Cum audieris mulierem illam dicentem: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae tu suxisti: deinde Dominum respondentem: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud: ea sententia dictum existima, non quod matrem negligeret, sed nihil ei utilitatis matris nomen allaturum ostenderet, nisi bonitate et fide praestaret. Quod si Mariae nihil sine virtute materna charitas erat profutura longe minus nobis patris, fratris, matris, filii bonitas, nisi aliquid nostrum afferamus.

℟. Felix.

Lectio VIII.

In nullo namque alio, nisi in solis sui ipsius virtutibus post divinam gratiam de salute cuipiam sperandum est. Nam si id profuturum erat per se Mariae, profuisset etiam Judaeis, quorum consanguineus erat Christus secundum carnem: profuisset civitati, in qua natus est, profuisset fratribus. At qui dum fratres rerum suarum curam habuerunt, nihil eis propinquitatis nomen profuit, sed cum reliquo mundo damnati erant.

℟. Beatam me dicent omnes.

Lectio IX.

Tunc autem admirationi esse coeperunt, quando propria claruerunt virtute; patria vero nihil inde consecuta cecidit, et incendio absumpta est: concives misere interempti periere: consanguinei secundum carnem nil ad salutem lucrati sunt, deficiente virtutis patrocinio. Verum Apostoli ante omnes clarissimi evaserunt, cum se ad veram et expetendam ejus familiaritatem consuetudinemque per obedientiam contulerunt. Hinc intelligimus, fide semper nobis opus esse, et vita, quae virtutibus luceat: haec dumtaxat salvos nos facere poterit. Te Deum laudamus.

DIE XV. OCTOBRIS

S. TERESIAE VIRGINIS

Duplex secundae Classis (1).

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico praeter Lect. I. noct. de com. Virg. primo loc.

---

(1) Indulgentia Plenar. perp. concess. a PIO IX, *quia S. P. N. Petrus de Alcantara « Sanctae Teresiae, cujus probaverat spiritum, in promovenda Carmelitarum Reformatione adjutor fuit* ». (Ut expressit. leg. in Breviar. Rom. Seraph. die XIX. Octobr.).

DIE XVI. OCTOBRIS

S. M. DE CERVELLIONE VIRGINIS

Duplex minus.

Cum comm. S. Winceslai Martyris etc.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat.

Ant. Flagellis, et catena Maria corpus domabat. Silentio, et abstinentia animum custodiebat: orationi incessanter instabat, docens Christi Sponsas vas corruptibile in sanctificatione et honore possidere.

Oratio.

Deus, qui nos conspicis in tot periculis constitutos pro nostra fragilitate non posse subsistere: concede propitius, ut intercedente Beata Maria famula tua, de praesentis vitae fluctibus educti, ad aeternae salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Maria nobili familia de Cervellione Barchinonae in Hispania nata, et a parentibus in Dei timore primis ab annis enutrita, virginitatem suam, cum decem, et octo esset annorum, illi devovit. Ejus vivendi ratio erat, in publicum rarius prodire, aegrotantibus domesticis sedulo adesse, et in Nosocomio ter in hebdomada pauperibus ministrare. Annum trigesimum agens, defuncto Patre, Habitum Ordinis Sanctae Mariae de Mercede, prima ex Feminis suscipiens, Sanctimonialibus ejusdem Ordinis Ducem, Magistram, et exemplar se praebuit; ac distributo patrimonio in Redemptionem Captivorum, professionem in eodem Ordine, una cum voto de laborando pro redimendis Captivis, emisit.

℟. Propter veritatem etc.

Lectio V.

Matre e vivis sublata, cum aliquot honestis feminis ejusdem Instituti piam, sanctamque vitam peregit. Solita quotidie mulierum a suis Fratribus redemptarum, ac Barchinonam advenientium, pedes in Hospitali domo lavare; quinquies in hebdomada Sacra Eucharistia re-

fici; terque jejunare, solo pane, et aqua contenta: quotidianis flagellis insuper, et ferrea catena corpus suum affligens. Silentium, quod mira observantia colebat, inanibus verbis nunquam infregit, ac parcius indulgens somno, expetebat ab hujusmodi necessitate liberari, ut illo solo frueretur incessanter, quo jucundantur Coeli, et Angeli laetantur. Quod diurni temporis supererat ab oratione, et pietatis exercitiis, in pauperes juvandos impendebat, nullum officii genus praetermittens, quo afflictos consolaretur, oppressos liberaret, et vinctos educeret de carceribus.

℟. Dilexisti etc.

Lectio VI.

Futuras maris tempestates praenuntiabat, illasque saepe suis orationibus sedavit: visa aliquoties super undas incedere, quo Fratres Captivorum redemptores, aliosque in mari periclitantes servaret incolumes; unde ei Mariae de Subsidio, vulgo de Socos nomen est inditum. Denique post multa virtutum insignia, Barchinonae migravit ad Dominum, decimo tertio Kalendas Octobris, anno salutis millesimo ducentesimo nonagesimo. Ejus corpus, ex quo suavissimus odor manabat, sepultum est in Ecclesia Fratrum Ordinis sui: quod nonagesimo post anno, Episcopo Bar-

chinonensi, Petro Aragoniae Rege, caeterisque Aulae, et Civitatis Primatibus adstantibus, solemni pompa elevatum, incorruptum repertum fuit, ac decentiori loco, ubi religiose colitur, asservatum.

℟. Afferentur Regi etc.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Simile est Coelorum, decem Virginibus, *de commun. Virg.*

Pro S. Winceslao Duce et Martyre.

Lectio IX *ut in Brev. Romano-Seraphico in hac die* ex 3. fit 1. *et com. ejusd. in Laud. et Miss.*

Ad Benedictus.

Ant. Adducentur in laetitia, et exultatione Regi Domino Virgines post Mariam, ut in sanctitate, et justitia serviant illi, et quocumque ierit, ipsum Agnum sequantur.

Ad Magnificat.

Ant. Mare, et venti Mariae obediunt, Angelici candoris virtute pollenti: aquae multae cesserunt ardori caritatis ejus.

16

DIE XVII. OCTOBRIS

Ss. FESTI ET SOCIORUM MARTYRUM

Semiduplex.

Omn. de Comm. plur. Mart. praeter seq.

Cum comm. S. Hedwigis Viduae Reginae Poloniae, ut in Breviario Romano-Seraphico.

Oratio.

Deus, qui nos annua Sanctorum Martyrum tuorum Festi, et Sociorum ejus, solemnitate laetificas, concede propitius; ut quorum gaude us meritis, accendamur exemplis. Per Dominum nostrum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Festus Diaconus S. Januarii, et Desiderius Lector comprehensi, vinctique una cum Episcopo ante rhedam Praesidis Puteolos pertra-

buntur, et in eumdem carcerem, in quo Sosius Misenas, et Proculus Puteolanus Diaconus, Eutyches, et Acutius laici ad bestias damnati detinebantur, simul conjiciuntur.

℟. Sancti tui etc.

Lectio V.

Postero die omnes in Amphitheatro feris objecti sunt: quae naturalis oblitae feritatis, ad Januarii pedes se prostravere. Id Timotheus magicis cantionibus tribuens, cum sententiam capitis in Christi Martyres pronuntiasset, oculis repente captus, orante mox Beato Januario, lumen recepit, quo miraculo, hominum millia fere quinque Christi fidem susceperunt.

℟. Verbera carnificum.

Lectio VI.

Verum ingratus Judex nihilo placatior factus beneficio, sed conversione tantae multitudinis actus in rabiem; veritus maxime Principum decreta, Sanctum Episcopum cum Sociis gladio percuti jussit. Horum Corpora finitimae Urbes, pro suo quaeque studio certum sibi Patronum ex iis apud Deum adoptandi, sepelienda curarunt.

℟. Tamquam aurum.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Hilarii Episcopi, ut in Ev. Sedente Jesu, *in die XIX. Septembris.*

Pro S. Hedwige *Lect. IX*, ut in Breviario (ex 3. fit 1.), et comm. ejusd. in Laud. et Missa.

DIE XVII. OCTOBRIS

In Convent. Lyc. Tar. Ur. Quint. Gal. Mart. et Par.

S. LUDOVICI REGIS FRANCIAE

3. Ord.

Cum com. S. Hedwigis Vid. Reginae Poloniae *ut supra.*

Duplex secundae Classis.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico, die XXVI. Augusti.

DIE XIX. OCTOBRIS

IN SOLEMNITATE

S. P. N. PETRI DE ALCANTARA C.

O. N. D. I.

Duplex primae Classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico.

DIE XXIV. OCTOBRIS

Bb. ANTONII PRIMALDI ET SOC. Mm.

HYDRUNTINORUM

Semiduplex (1).

Cum comm. S. Eduardi Regis Conf. ut in Breviario; IX. Lect. ejusd. (ex 3. fit 1.) et comm. in Laud. et Missa.

---

(1) V. a pag. 143 et seq. in hoc Libello.

DIE XXIV. OCTOBRIS

In Conventu Martani

B. SANCTES DE MONTE FABRORUM

CONF. I. ORD.

Duplex minus.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico, die XIV. Augusti.

DIE XXV. OCTOBRIS

Ss. GAVINI ET SOCIORUM MARTYRUM

Duplex minus.

Omnia de comm. plur. Mart.

Oratio.

Deus, qui per beatos Martyres tuos Gavinum, Prothum, et Januarium Ecclesiam tuam mirabiliter illustrare dignatus es; concede nobis famulis tuis, ut quos Patronos veneramur in terris, intercessores habere mereamur in Coelis. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Prothus Sacerdos, et Januarius Diaconus Turribus in Sardinia nati, quo tempore Diocletianus Imperator insatiabilem crudelitatem in Christianos exercebat, Romam profecti, et a Cajo Sanctissimo Pontifice ordinati, atque in Sardiniam reversi, Fidem Christi Turribus praedicabant; Deique gratia aspirante, plures Gentiles ad veri Dei cultum perduxerunt: inter quos maxime enituit Gavinus Romanus miles ex praeclara (ut fertur) Sabellorum familia; qua de causa barbari Presidis jussu comprehensi, diuturno carcere macerati, in equuleo suspensi, ferreis ungulis dilaniati, variisque tormentorum generibus vexati sunt, sed Deo protegente, illaesi ab illis evaserunt.

℞. Sancti tui etc.

Lectio V.

Mox Protus Presbyter in Herculis insulam, quae Linaria, vulgo dicitur, tunc noxiis animalibus refertam, jubente Preside, deportatus fuit, ut a feris devoraretur, ubi cibo,

atque omni humana ope penitus destitutus, multis calamitatibus vexatus fuit; sed divinis laudibus intendens, ab eo; qui dat escam esurientibus, mirabiliter enutritus, hoc etiam suis precibus impretrasse dicitur, ut omnes noxiae ferae in ea Insula, ac vicina Sardinia, usque in praesentem diem extinctae omnino fuerint. At vero Januarius junior, donis, et blanditiis tentatus, ut a fide deficeret: in ejus confessione immobilis perseveravit. Quare Praeses novis eum tormentis simul cum Protho, quem ab exilio revocaverat, subjecit, et Gavino milito utrumque tradidit custodientum. Porro Gavinus ab ipsis ad Christum conversus, et aqua salutari ablutus liberos illos dimisit, quod insontes eos, et sine causa vinctos diceret.

℟. Verbera carnificum etc.

Lectio VI.

Id cum Tyranno innotuisset, suasionibus, et illecebris ad Idolorum cultum Gavinum revocare conatus est: quem in suscepta Religione constantissimum repertum, capitali sententia puniri mandavit in portu Balagai. Quo loco etiam Prothus, et Januarius, qui in suburbano Turrium loco latentes, ab ipso Gavino in visu ad Martyrii palmam invitati fuerant, decollati sunt die vigesima quinta Octobris.

Horum corpora, Tyranno imperante, in mare projecta, mox ab Incolis Christianis juxta littus reperta, et in Ecclesia magnificentissime extructa, ac eorum nomine consecrata, collocata fuerunt, ubi a toto Sardiniae Regno, et precipue a Provincia Turritana, quae in honorem Sancti Gavini mensem Octobris Sanctum Gavinum appellat, ingenti concursu, et populi veneratione coluntur.

℟. Tamquam aurum etc.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Cum audieritis *de* 1. *loc.*

DIE XXVII. OCTOBRIS

S. LUDOVICI BERTRANDI CONFESS.

Duplex minus.

Omnia de Conf. non Pont. praeter seq.
In Hymno Meruit Supremos.

Oratio.

Deus, qui Beatum Ludovicum Confessorem tuum per corporis mortificationem; et fidei praeconium Sanctorum gloriae coaequasti: praesta, ut quod fide profitemur, pietatis operibus jugiter impleamus. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ludovicus Bertrandus Valentia in Hispan Tarraconensi honestis, piisque Parentibus n tus, ab ipsa pene infantia, sanctitatis, poenitentiae tyrocinium inchoavit. Exacta pu ritia, interdum nuda cubabat humo, noct saepe ducebat insomnes, ac in pietatis et ca ritatis officia sedulus incumbebat. Mundi con temptu, ac religiosae vitae ardore succensus parentum artes, quibus eum a sancto propo sito dimovere conabantur, mira constantia su peravit. Sui tandem voti compos effectus Praedicatorum Ordini nomen dedit, ubi bre vi tantum profecit, ut vel provectioribus ipsis quamvis tyro, fuerit exemplo. Emissa pro fessione; mirum quot et quantis virtutum in crementis priorem vitae rationem cumularit. Jejuniis, flagellis, ciliciis, vigiliisque carnem domans, mentem jugi orationis pabulo nutrie- bat, ex quo tantum internae animi modestiae ac puritatis hauriebat, ut vel in ejus oculis ac vultu appareret.

℟. Honestum etc.

Lectio V.

Adhuc juvenis Novitiorum praefectus institutus, eos ad omnem verbo et exemplo sanctimoniam efformabat. Ad occidentales Indos Evangelicus Praedicator missus, quamvis uno tantum Hispanico uteretur idiomate, eum tamen diversae atque inter se dissitae Nationes, sua veluti loquentem lingua, singulae audiebant ex quibus innumeros ad Christianam Fidem adduxit; ibique venenum non semel sibi a Barbaris propinatum innoxie hausit. Publicam vitiorum objurgationem, tamquam in se unum directam Nobilis quidam ulturus, mortem Ludovico intentat, cum strictus in eum sclopus in Crucifixi formam repente convertitur. Quo miraculo nefarius aggressor permotus, tanti facinoris veniam enixe deprecatur.

℟. Amavit etc.

Lectio VI.

Humilitate, ac patientia insignis, illud identidem usurpabat: Domine hic non parcas, ut in aeternum parcas. Prophetico afflatus spiritu multa praedixit. Ignem signo Crucis extinxit, tempestatem sedavit, ferarum impetus cohibuit, mortuis vitam, coecis visum, claudis gressum, surdis reddidit auditum. Tandem durioris poenitentiae laboribus fractus, in mor-

bum incidit, sacrisque Mysteriis rite expiatus, migravit in coelum septimo Idus Octobris anno millesimo qaingentesimo octogesimo primo, aetatis vero suae quinquagesimo quinto. Quem multis etiam post obitum miraculis clarum Paulus Quintus Beatorum Clemens vero Decimus Sanctorum numero adscripsit. Ejus demum festum Alexander Octavus, instante Rege Catholico, ab universo ditionis ipsius Clero saeculari, sub ritu duplici celebrandum decrevit, Sanctumque Confessorem novi Regni Granatensis Patronum Apostolica auctoritate declaravit.

℟. Iste homo etc.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papae in Evangel. Sint lumbi vestri, *ut in eodem Comm.*

DIE XXVI. OCTOBRIS

Octava

S. PETRI DE ALCANTARA

Duplex minus.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Confirmavit quoque Deus insignem servi sui sanctitatem innumeris miraculis. Aliquando nives e coelo decidentes mirabiliter in aere suspensae in modum testudinis, tectum quoddam ei efformarunt, sub quo noctis, ac tempestatis incommoda securior evasit. Dum sacra interdum in aperto campo perageret, solum illud loci spatium (ubi populus Missae praesens erat) nec aquae quidem gutta, nec venti minima vis attingere ausa fuit. Alias pluvia de coelo cadente, siccis vestibus per publicas vias incessit. In magna siccitate precibus suis copiosum a Deo imbrem obtinuit. Baculum suum, ut Fratrum occurreret necessitati, devote terrae infigens, mox divina virtute fru-

ctiferum reddidit. Rapidos fluvios siccis pedibus pluries pertransivit. Accensum ignem in quodam Conventu, per flammas ipsas innoxius incedens, sine mora extinxit. Sicque sanctificatis viri sancti sensibus omnia elementa obsequium praestiterunt.

℟. Minister Christi etc.

Lectio V.

Plures gravi morbo laborantes a mortis discrimine revocavit. Demersum in puteo infantem, corda, qua cingebatur, in eum locum demissa, mirabiliter extraxit. Mulieris oculos luce orbatos leviter tangens, data ei benedictione, protinus illuminavit. Iter faciens, saepius sociis lassitudine confectis compatiens, opportunam eis escam, et aquae fontem a Deo impetravit. Feminam quamdam a daemone per multum temporis deceptam, de prava illa consuetudine, quam cum maligno tentatore ignoranter habuerat, commonefecit, atque audita ejus confessione; eam, pluresque alios vexatos a spiritibus immundis liberavit. Hinc maximus populorum ad eum fiebat concursus, ipsumque tamquam hominem a Deo missum, novumque Apostolum acclamabant.

℟. Virtute multa etc.

Lectio VI.

Tandem post multos labores ac diuturnas infirmitates, quas semper constanti pertulit animo, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, cum annum sexagesimum tertium perageret, Arenis gravi morbo decumbens, fratres suos ad paupertatis extremae cultum obnixe cohortatus est. A Deipara, et a Sancto Joanne Evangelista visitari, atque ab ipsa Augustissima Trinitate, sibi in maxima claritate apparente, ad coelestes nuptias invitari promeruit. Demum Psalmo, Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus, cum ingenti cordis exultatione recitatio; paulo post humi in genua procumbens, ea, quae praedixerat, hora, in Domino sancte obdormivit. Eodem tempore Sanctae Teresiae magno splendore coruscans apparuit, seque ad requiem pergere, et felicem esse poenitentiam, quae tantam sibi promeruerat gloriam, indicavit. Ejus corpus in Ecclesia Fratrum Discalceatorum Sancti Francisci Arenis depositum, singulari populorum veneratione invisitur. Tandem plurimis fulgentem miraculis Clemens Papa Nonus anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo nono in Sanctorum numerum retulit.

℟. Cum introisset etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 12.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi Episcopi.

De terrenorum cura despicienda. Serm. 25.

Domine, tu vidisti, quia in thesauris tota fides, tota spes in saeculis sit avaris, et ideo imputribiles in coelo sacculos vis parari, ut, qui te non sequitur ad coelum, sequatur saltem sacculos suos. Avare fac tibi sacculos, et fac jubente Deo, quia votis tuis annuit divina majestas, sed fac tibi sacculos erogando, quia quidquid pauper acceperit, Pater coelestis suscipit, et ubi recondit? in coelo. Et ne sortem perdidisse te doleas, vel usuram: centuplum in coelesti faenore recipies, quidquid in coelum paupere trasmiseris perferente.

℟. In magna siccitate etc.

Lectio VIII.

Usura mundi centum ad unum. Deus unum accipit ad centum: tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsitan de cautione soliciti: quare? Nonne homo homini exiguae chartulae obligatione constringitur? Deus tot et tantis voluminibus cavet, et debitor non tenetur? Sed dicis, esto quod debeat, quo exigente restituet? se ipso, quia non potest ille mentiri, idem ipse est et executor, et debitor: Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo; crede, homo, Deo: quod tibi Deus dedit, majora reddere vult, cum vult debere largitor.

℟. Domine Jesu Christe etc.

Nona Lectio de S. Evaristo Papa et M., ut in Breviario.

DIE XXIX. OCTOBRIS

S. PULCHERIAE VIRG. IMPERATR.

Duplex minus.

Omnia de comm. Virg. praeter seq.

Oratio.

Deus, qui B. Pulcheriam Virginem tuam singulari castitatis praerogativa decorasti, quique illi ad defendendam Ecclesiam tuam summum fidei amorem tribuere voluisti: concede, ut ejus intercessione, Tibi puris mentibus inhaerentes, ab omnium hostium insidiis misericorditer liberemur. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ælia Pulcheria, Augusta, Patre Avo, Fratre, atque Viro Romanorum Imperatoribus maxime nobilis: profligatis sua praesertim opera haereticorum erroribus, et Catholico dogmate

circa Incarnationis Mysterium, et Divinam Maternitatem constituto multo nobilior, ab ipsa pueritia tanta sapientia divinitus praedita fuit, ut ii, quibus post Arcadii Patris obitum Imperii procuratio, dum Theodosius adolesceret, commissa fuerat, ejus arbitratu omnia facerent; essetque constans opinio, unius puellulae virtute, ac sapientia, quae instare, atque ingruere videbantur pericula, discussa et felicitatem Imperio constitutam. Domi assidua disciplinae exactrix, eam vivendi formam induxit, ut illa jam non Aula Imperatorum, sed Asceterium vulgo diceretur. Theodosium fratrem, Eudoxiam, quam illi matrimonio conjungendam curavit, Flaccillam, Arcadiam, Marinam sorores ita imbuebat bonis moribus, exercebatque ad virtutem, ut quibus non multum praestabat, eorum moderatrix, ac propemodum mater esse videretur. Qua institutione Sorores quantum profecerint, vel ex hoc uno intelligi potest, quod Pulcheriam imitatae, se, suamque Virginitatem Deo devoverunt: utque Augusta Virgo ea, quae decreverat, amplius confirmaret, omnesque voluntatis suae testes haberet, ex auro et pretiosis lapidibus Sacram mensam in Ecclesia Constantinopolitana pro virginitate sua, et fratris Imperio dedicavit, et in fronte ipsius mensae hanc eadem inscripsit.

℟. Propter veritatem etc.

Lectio V.

Potior autem ejus in Theodosio instituendo eluxit cura; eumque, ubi opus esset, mira quadam dexteritate corrigebat: qui quidem talis est effectus, ut absolutissimum optimi vereque Christiani Principis exemplar fuerit, dum Pulcheriae consiliis est obsequutus. Post diuturnam cum Fratre concordiam, turbis malevolorum fraude, atque obtrectatione in Aula excitatis, tempus nacta, quo sibi jam uni, Deoque vacare posset, in Hebdomum, locum Byzantio suburbanum, ibique vitam agens pene Monasticam, aliquandiu se continuit: cum vero felicitas Imperii una cum ea exularet, a Fratre accersita, ubi deesse vidit, qui praelia Domini pugnaret, Deboram imitata, fide, ac religione armata processit, et missis in omnem partem Epistolis, hortando, monendo, invitando, non pecuniae, non laboribus parcens, digna effecta est, quam Patres Concilii Chalcedonensis una omnium voce, atque praeconio Custodem Fidei, pacis Conciliatricem, Expultricem haereticorum, Piam, Orthodoxam, novam Helenam (sicut Marcianum tunc Imperatorem, novum Constantinum) consalutarent; cuique S. Leo totius Romanae Ecclesiae nomine plurimum gratularetur, ejusque causa exultare se diceret, ac digna Deo vota persolvere, quod de Ne-

storiana primum impietate, mox de nefario Eutychetis errore perempto; duplicem illi palmam contulerat, et coronam.

℟. Dilexisti justitiam etc.

Lectio VI.

Atque hae tantae curarum moles, quas praesertim in Ephesino, ac Chalcedonensi Conciliis Romanorum Pontificum auctoritate convocatis necessario susceperat, nihilo illam ad cetera Christianae pietatis officia obeunda fecere segniorem. Assidua coelestium rerum contemplatione sacrorum Librorum lectione, corporis afflictationibus sponte susceptis se exercebat: Psalmos de nocte surgens una cum Regiae familiae Principibus decantabat, Dei, ac Sanctorum (quorum et colloquio non semel dignatà est) cultrix eximia, quae etiam summopere semper contendit, ut erga eorum Reliquias cultus augeretur. Deiparam in primis coluit, cui hanc ipsam Deiparae appellationem contra Nestorianorum blasphemias asseruit; voluit namque summa Sapientiae suae dispositione Divina Providentia, ut per Virginem summa Virginis dignitas inoffensà penitus servaretur; quam etiam est imitata servando perpetuam in ipso conjugio virginitatem; cujus denique cultui amplificando complura Templa regali plane magnificentia excitavit, donariis

auxit, redditibus locupletavit. In placanda Divina Justitia mira pietate enituit. Fuit erga pauperes misericordia plane singulari, quos, et materna quadam caritate complexa est quoad vixit, et moriens eorum, quae assidua effusissimaque liberalitas reliqua fecerat, scripsit haeredes. Quod cautum ab ipsa testamento fuit, diligenter curavit Marcianus, quem pari Religionis studio, rebusque omnibus Imperio dignissimum, ipsa evexerat ad Imperium sibique hanc ipsam ob causam, salva, quam Deo voverat, virginitate, conjugem delegerat. Obiit anno quadrigentesimo quinquagesimotertio, magno omnium luctu, maximisque Sanctorum Patrum, caeterorumque ejus aevi Scriptorum laudibus celebrata.

℟. Afferentur etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap.* 17. 3.

In illo tempore: dixit Jesus: Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Chsistum. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Episcopi Alexandrini.

De Fide ad Pulcheriam, et Sorores Reginas.

Sane vos sacras, castissimasque Christi omnium nostrum Salvatoris sponsas, religiosissimae, ac Deo dilectissimae, Imperatrices, orbis terrarum ornamentum, Sanctissimarumque Ecclesiarum decus optimo jure quisquis appellaverit, in quibus nimirum omne virtutum genus, omnisque ornatus Divinae Majestatis oculis gratus, acceptusque mirifice splendet. Neque his opibus contentae, omnem quoque curam omneque studium adhibetis, quo fide recta, nullamque in partem vacillante, excellatis. Neque Christi Regnum capessere, et ea quae illi grata sunt, facere, et sentire omittitis, partim rursum cum vestras, tum Principum quoque vestrorum aulas virginitatis gloria condecorantes, partim denique sumptuosissima Templa Christo Domino excitantes; nam et hoc quoque pietatis studium inter caetera ille sanctis vestris animis impertitus est.

℟. Haec est Virgo etc.

Lectio VIII.

Igitur ex sacris litteris vobis vere sanctis Christi Sponsis (quamquam ad quodvis bonum abunde instructae videamini) aliquid depro-

mam. Hinc etenim, et Emmanuelem verum, ac naturalem Deum, et Virginem Matrem, quae eum peperit, veram per ipsum Deiparam esse, planum fiet. Ait Christus: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Si cum solius verique Dei cognitione Jesu Christi cognitionem necessariam, consociatamque esse oportet, et hoc ipsam aeternam vitam conciliat; cui obscurum esse potest, Christum verum esse Deum? Verbum sane caro factum est, sed mansit interim Verbum.

℟. Media nocte etc.

Lectio IX.

Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Qualem itaque gloriam Filius a Patre accepisse se narrat, quam nobis deinde communem fecerit? Sane ipse ab hac quaestione nos liberat, dum ait, sicut et nos unum sumus. Nam etsi Dei Patris Verbum, secundum propriam hypostasim, alius a Patre esse dignoscatur, naturali tamen identitate unum plane, et idem est cum illo. At quo pacto Verbum illud, unum quoque nobiscum factum est? Ad eumdem omnino modum, puta secundum essentialem, et naturalem identitatem. At cum Divina natura tanto a creatura distet interval-

lo, ut secundum essentiam cum ea coire nequaquam valeat; ecquo, inquis, modo secundum naturam unum ille factus est nobiscum, qui omnem omnino creaturam excellit? Verbum factum est homo; ut quemadmodum in Deitate unum, et idem est cum Patre, ita secundum naturae humanae habitudinem sit unum quoque nobiscum.

℟. Te Deum etc.

DIE XXIX. OCTOBRIS

In Conventu Tarenti

DEDICAT. ECCLES. CATHEDR.

Duplex secundae Classis.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico.

DIE XXX. OCTOBRIS

B. FRANCISCI DE CALDEROLA

CONF. I. ORD.

Duplex minus.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui B. Franciscum Confessorem Ecclesiae tuae dignum ministrum praebuisti, ac mirifica dissidentes componendi gratia decorasti; ejus meritis et intercessione concede, ut in tua charitate firmati nullis a te tentationibus separemur. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Franciscus in oppido Calderola Camertis Dioecesis in Picaena Provincia honestis parentibus natus maturo tempore Ordini Seraphico nomen adjecit: ibique tam in humanis quam in divinis litteris vel maxime profecit. Sacerdo-

tio insignitus, pro ea, qua aestuabat, animarum salute praedicationi verbi Dei, et Sacramenti Poenitentiae administrationi se totum adeo dicavit, ut dies integros eo in officio consummaret. Neque minus eorum, quae Dei sunt, sollicitus noctes in oratione divinisque laudibus persolvendis agere consuevit. Deiparam quoque Virginem tenerrima devotione est prosequutus, cujus Imaginem Sodalitati Montis a se institutae dono dedit, quam miraculis insignem Pius Papa VII ab exilio redux Tolentini in Basilica S. Nicolai aurea corona suis manibus decoravit.

Lectio V.

Inter ejus virtutes praecipue eluxit humilitas; quum enim summa floreret doctrina, simplici tamen et familiari oratione, Sanctorumque exemplis, quo facilius rudes auditores perciperent, atque efficacius commoverentur, in concionando utebatur, qua ratione plurimos ad Christum peccatores convertit. Sed in eo se dedit in primis admirandum, quod optimam apud omnes assequutus opinionem vetera ex animis odia extirparet, et inimicos feliciter inter se conciliaret. Itaque plenus meritis, laboribus juxta suique corporis afflictationibus absumptus in Coenobio Colfani Anni millesimo quadrigentesimo septimo in Domino obdormivit.

Lectio VI.

Tum vero coelestibus prodigiis Servi sui sanctitatem Deus commonstravit, quibus permoti Christifideles Corpus super Altare composuerunt, Altare eidem dicarunt, Tabulae cum beatitatis indiciis pingi, lampades accendi, coerei offerri, anathemata appendi ad tumulum coeperunt. Hinc cultu in dies percrebescente Beati titulo a scriptoribus cohonestatus, nomen in Ordinis Menologio recensitum, Cor nobili Lipsanotheca compositum, festum quotannis celebratum, publicae supplicationes ad illius tumulum bis in anno cum Magistratus interventu institutae, solemnes Corporis translationes Antistitum Camertium consensu celebratae. Quibus, aliisque in Sacrorum Rituum Congregatione probatis, Gregorius Papa XVI. cultum publicum et ecclesiasticum Beato Francisco de Calderola exhibitum confirmavit, et officium ac Missa octavo Kalendas Novembris quotannis celebrantum tam universo Minorum S. Francisci Observantium ac reformatorum Ordini, quam Camerti Dioecesi concessit.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium : Sint lumbi vestri, *de Communi.*

NOVEMBER.

DOMINICA PRIMA NOVEMBRIS

In Conventu Lycien

DEDICAT. ECCLES. CATHEDR.

Duplex secundae Classis.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico etc.

DIE XIII. NOVEMBRIS

S. STANISLAI KOSTAE CONFESSORIS

Duplex minus.

Omnia de comm. C. non P. (M. S.)

Oratio.

Deus, qui inter cetera sapientiae tuae miracula, etiam in tenera aetate maturae sanctitatis gratiam contulisti; da quaesumus, ut Beati Stanislai exemplo, tempus instanter operando redimentes in aeternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum etc.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Stanislaus Senatoria Kostarum gente ortus in Polonia, quam olim esset militiam secuturus, nomen JESU praenuntiavit, pariturae matris gremio divinitus inscriptum. Virginitatem adhuc puer ita coluit, ut paterna in mensa si quid minus pudice dictum audivisset, prae horrore exanimis corrueret. Ad Viennense in Austria Seminarium studiorum causa missus, non minus exemplo sodalibus, quam venerationi fuit. Coactus in Lutherani hospitis aedes migrare, ibique a Paulo fratre ad liberiorem vitam omni etiam asperitatum genere incitatus, domesticum bellum toto biennio constantissime sustinuit: ad aeterna se, non ad caduca natum affirmans. Itaque unicum illi erat rerum coelestium desiderium, perpetua cum Deo consuetudo, cultus Deiparae adeo tener, ut Matrem suavissime appellaret.

℟. Honestum etc.

Lectio V.

Quotidianae Fratris vexationi crebra ipse jejunia, flagella, aliosque insontis corpusculi cruciatus adjiciens lethalem in morbum incidit. Quo ingravescente, cum daemonem horrendi canis specie insilientem signo Crucis ter fugasset, sacrum Viaticum; quod in haeretica domo decumbens frustra ab hominibus petebat, ab Angelis accepit. Mox ad pueri JESU complexum a beatissima ejus Matre comiter admissus, ac Societati jussus nomen dare, subito convaluit. Sed cum aditum ad illam patris timor in Germania praecluderet, peregrini habitu solus, pedes, mendicus fugam arripit, certus non sistere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei beneficio prosperum fuit; nam praeter alia, Pauli profugum fratrem jam assequentis equi; immisso divinitus torpore, constiterunt. Et Stanislaus Angelorum pane iterum Angelico ministerio refectus, post duodecies centena passuum millia, tandem Romae in Societatem JESU a S. Francisco Borgia Generali Praeposito meruit cooptari.

℟. Amavit etc.

Lectio VI.

Tironis emeriti virtutes in religiosae vitae palestra splendidius eluxere. Charitas praesertim erga Deum, in quem assidue alienata a sensibus mente rapiebatur. Inde illi facies semper accensa, nonnumquam irradians: perennes lacrymae: ardor pectoris tantus, ut media quoque hyeme foret ingesta identidem gelida temperandus. Itaque amore verius, quam febri aestuans, die assumptae in Coelum Virgini sacro, ad ejus triumphalem pompam proprius, ut optaverat, spectandam, ab ipsa beatarum Virginum choro stipata vocatus est ex Quirinali domo Probationis, anno innocentis vitae decimo octavo, operum plenior, quam dierum. Multis post obitum miraculis in sua praesertim Polonia enituit, cujus armis contra formidabiles Turcarum exercitus spectabilis e Caelo affuit non semel; et Civitates alias peste, alias incendio liberavit. Quamobrem Clemens Decimus eum inter primarios totius Regni Patronos constituit, Benedictus vero Tertiusdecimus (quod a Clemente Undecimo jampridem fuerat decretum) in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iste homo etc.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.
Cap. 19. ℣. 13.

In illo tempore: Oblati sunt Jesu parvuli; ut manus eis imponeret. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Nysseni.

Oratio de S. Pulcher.

Nostis prorsus teneram hanc columbam, quae in nido regio nutriebatur; quae jam primum quidem nitidis pennis volucris evadebat, sed aetatem gratiis, et virtutibus superabat, relicto nido discesserit, ut ex oculis nostris avolaverit, ut eam invidia repente de manibus nostris rapuerit: sive columbam hanc dicere oportet, sive recens pullulantem florem, qui nondum quidem toto suo splendore ex gemmis, ac vaginis emersisset, sed partim quidem jam enituisset, partim vero in lucem emersurus speraretur: nec eo minus in exigua, atque imperfecta sui parte mirum in modum resplenderet.

℟. Iste est etc.

Lectio VIII.

Non nostrum verbum, Fratres, dicemus, sed dictum ex Evangelio nobis recitatum in medium afferemus. Audistis Dominum dicentem: Sinite parvulos pueros, et ne prohibeatis eos venire ad me; talium enim est Regnum Coelorum. Proinde etiamsi a te discessit puer, attamen ad Dominum recurrit: tibi oculum clausit, sed lumini aeterno aperuit: a tua mensa remotus est, sed Angelicae adhibitus. Hinc planta revulsa est, at in Paradiso sita est: de regno ad regnum traducta est; purpurae florem exuit, ac superni regni amictum induit. Vides, quae quibus commutaverit.

℟. Sint lumbi etc.

Lectio IX.

Corporis decor non amplius apparet; non enim vides ejus veram animi pulchritudinem, qui nunc in Conventu Coelitum exultat, atque laetatur. Quam speciosus ille oculus, qui Deum videt! Quam suave os divinarum laudum decantatione exornatum! Ex ore enim, inquit, infantium, et lactentium perfecisti laudem. Quam pulchrae manus, quae numquam malum operatae sunt! Quam decori pedes, qui ad nequitiam, atque malitiam non accesserunt, neque in via peccatorum vestigium

suum impresserunt! Quam speciosa tota animae illius facies, non laudum fulgoribus ornata, sed simplicitate, integritate, et innocentia resplendens.

℟. Te Deum etc.

DIE XXIV. NOVEMBRIS

In Conventu Baruli

DEDICAT. ECCLES. CATHEDR.

Duplex secundae Classis.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico etc.

DECEMBER.

DIE VI. DECEMBRIS

In Conv. Baruli, Quintiani (✠), Castell. et Capursi

S. NICOLAI EPISC. ET CONF.

Patron. Princ. Prov. et Loc. etc.

Duplex primae Classis.

Omnia ut in Breviario Romano-Seraphico, praeter Lect. I. noct. de primo loco.

DIE VII. DECEMBRIS

S. AMBROSII EPISC. CONF. ET DOCT.

Duplex minus.

Ut in Breviario etc. et com. VIGILIAE IMMACULATAE CONCEPTIONIS in Laud. et Missa, prout sequitur (1).

(1) Ex novissimo Decret. S. R. C. *Regni utriusque Siciliae*— Serenissimus Ferdinandus II. Siciliarum Rex inclytus etc. Undecimo Kalendas Nov. 1850.

Pro Vigilia Immaculatae Conceptionis B. M. V.

Lectio IX.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.
Cap. 1.

Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 2. *in Matth.*

Duo sunt, quae pariunt quaestionem. Unum, quae causa sit, ut in generationum catalogo Virgo sileatur; alterum vero, qua ratione Joseph memoretur, cui certe nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim et unum abundare, et alterum deesse. Quid ergo dicemus? quod utique primum illud necesse fuerit memorari, quemadmodum ex David Virgo descenderit. Unde hoc itaque discemus? Audi ad Gabriel loquentem Dominum: vade ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph, ex domo et familia David. Quid vis audire manifestius, cum ex domo et familia David illam Virginem esse cognoscas?

Ant. et ℣. *de fer. occurr. ut in Psalt.*

Oratio.

Deus, qui Virginalem aulam Beatae Mariae, in qua habitares, eligere dignatus es; da, quaesumus ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suae interesse Festivitati. Qui vivis et regnas.

DIE XXX. DECEMBRIS

In Conventu Baruli

S. ROGERII EPISCOPI ET CONF.

Patron. Civitatis.

Duplex primae Classis.

Offic. de comm. Pont. 1. loc. etc.

FIN

APPENDIX.

B. ÆGIDII CONFESSORIS
TERTII SOCII S. FRANCISCI ASSISIENS.

Duplex minus (1).

Omnia de comm. Confessoris non Pontificis praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui Beatum Ægidium Confessorem ad humilem tuae Crucis sequelam venire docuisti; concede nobis famulis tuis, ut in te jugiter intenti, ipsius precibus pacem consequamur aeternam. Qui vivis etc.

(1) Si noti bene che la *Orazione* di questo Beato è la testè trascritta, giusta l'ultima correzione fatta dalla Sacra Congregazione de' Riti, e quella che sta inserita nel *Breviario Romano-Serafico* dell'ultima edizione *Napolitana* dell'anno 1848, è sbagliata.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ægidius Assisii in Umbria piis, honestisque parentibus natus, quum audisset, Beatum Franciscum, rebus omnibus abdicatis, se totum Christo dedisse, et duos ex Assisinatibus ei associatos fuisse, eodem spiritu actus suppliciter petiit: ut inter ejus discipulos cooptaretur; et statim non sine maximo animi gaudio voti compos est factus. In aemulandis parentis sanctissimi virtutibus totus fuit, et exultavit ut gigas ad currendam seraphicae perfectionis semitam. Praecipuo studio humilitatem coluit, qua permotus vilissima semper et laboriosa ministeria obire in deliciis habuit adeo, ut hospitio a viris conspicuis exceptus de fructu manuum suarum etiam sibi victum procurare firmiter voluerit, erogans in pauperes quidquid sibi supererat. Paupertatem, ad tanti patris exemplum se confirmans, sibi sponsam elegit, et ideo cum eodem vere dicere poterat: tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

℟. Honestum.

Lectio. V.

Italiam, Hispaniasque suis itineribus perlustravit, toleravitque undique propter habitus squalorem et vitae asperitatem probra et irrisiones, quibus fuit appetitus. Suis monitis et exhortationibus assidue operam dedit, ut peccatores ex vitiorum coeno revocaret ad virtutis tramitem, omniumque animos inflammaret ad mundi contemptum et Jesu Christi amorem. Etsi rudis et idiota, de summis rebus sententias coelesti sapientia refertas protulit. Seraphicus pater eum tamquam fortissimum athletam elegit ad duriora et difficiliora certamina, nec ullis territus difficultatibus ejus voluntati obsequentissimum constanter se praebuit. Altissimae contemplationis munere a Deo insignitus, coelestem potius quam terrestrem vitam agere videbatur, extasibus et raptibus frequentibus celeberrimus. Martyrii desiderio incensus in Africam se transtulit, Tunetumque appulsus, Deo ita disponente, a barbaris ejectus in Italiam se recepit. Hierosolymitanam peregrinationem aggressus est, ut loca Christi sanguine consecrata inviseret, et ut Dominicae passionis mysteria proprius meditaretur.

℟. Amavit.

Lectio VI.

Ejus fama sanctitatis longe lateque percrebuit adeo, ut viros etiam principes in sui admirationem adduxerit, quos suis consiliis rogatus saepe saepius adjuvit. Ipsemet Gregorius Nonus, qui ejus concionibus in eremo Perusiae interesse voluit, in administrandis christianae reipublicae negotiis consiliarum adhibuit. Sanctissimi Francorum regis Ludovici Noni fuit ibidem visitatione honestatus. Ad quale sanctitatis fastigium pervenerit Ægidius ex hoc liquido patet, quod seraphicus Doctor Bonaventura Deo gratias ageret, quod ea in tempora inciderit, in quibus beatum alloqui, et cum eo conversari potuerit. Perusini cives nihil Ægidio aestimabilius arbitrantes, quum finem ejus vitae instare pernoscerent, ne mortales exuviae finitimorum populorum devotione subriperentur, positis circa eremum excubii sedulo curarunt. Servi sui sanctitatem in vita et post mortem miraculis Deus testatam voluit. Ejus corpus in urbanum coenobium ingenti pompa, et totius Perusinae urbis laetitia translatum, in eleganti sarcophago, sicut ipse praedixerat, conditum fuit. Ejus cultum immemorabilem Pius Sextus ratum habuit; et Missam cum Officio sub ritu duplici ab universo Minorum Ordine, et Clero Perusino celebrari indulsit. — ℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Evang. Nolite timere.

B. MARCI DE MONTE GALLO

CONF. I. ORD.

Duplex minus (M. S.).

Omnia de communi Confessoris non Pontif. primo loco, praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui per Beatum Marcum Confessorem tuum ad tui, et proximi amorem fideles excitasti: quaesumus ut ejus precibus et meritis charitatis opera jugiter exercere mereamur. Per Dominum nostrum.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Marcus in Oppido Sanctae Mariae de Monte Gallo Asculanae Dioecesis in Picena Provincia nobilibus parentibus ortus, puerilem aetatem

claris adeo virtutibus illustravit, ut futurae sanctitatis spem certam omnibus ingesserit. Liberalibus disciplinis Perusiae, et Bononiae excultus est, medicamque artem laurea donatus exercuit. Parentis voluntati obsequutus conjugalem statum amplexus est: illo tamen vita functo, conjugis consensu, ut impensius Deo uterque vacaret, alter in Eremo Fabriani inter Minores Sancti Francisci Observantes, altera inter Civitatis Asculanae Clarissas regularis sese vitae dedicarunt.

Lectio V.

Hinc Marcus ob singulares virtutes nactus famam sanctitatis Eremo Sancti Severini praeficitur. Coelesti tamen ut perhibent visione per Deiparam Virginem excitatus Apostolicum Verbi Dei praedicandi munus suscepit, quod per omne ferme Picenum, aliasque Civitates annos quadraginta ita gessit, ut uberrimum animorum lucrum collegerit. Fuit autem hoc illius charitatis praecipuum ut ad levandam miserorum inopiam, montem pietatis plurimis in locis erigi curaverit. Neque minus ceteris virtutibus eluxit: fuit enim Dei, et Ecclesiae mandatorum, suique instituti regularum diligentissimus custos. Praesulum dicto imprimis audiens, humilitate, oratione, sui corporis

castigatione excellens; omnibus fuit admirationi, coelestibusque uti ferunt, a Deo exornari promeruit donis.

Lectio VI.

Vicentiae tandem dum secundo publice concionaretur, annorum juxta, et meritorum plenus gutturis angina correptus die, quam praedixerat nono et decimo Martii anno reparatae salutis millesimo quatercentesimo nonagesimo septimo aetatis suae septuagesimo ad Sancti Marcelli Hospitium obdormivit in Domino. Morte vix sequuta magnus populi Sanctum inclamantis, suumque cultum variis modis significantis factus est concursus. Corpus deinde in Ecclesiam sui Ordinis solemni pompa translatum in loculo ab aliis separato, atque ab humo elevato fuit compositum. Communis populorum veneratio ad hunc usque diem permauet adeo, ut illam rite probatam Sacra Rituum Congregatio confirmavit, ac praesens Festum universo Minorum Sancti Francisci Observantium Ordini, Gregorius Papa XVI benigne concesserit.

IN III. NOCTURNO.

Sint lumbi, *de primo loco.*

B. RIZZERII DE MUCIA

Conf. I. Ord.

Duplex minus.

Omnia de communi Confessorum non Pontificum primo loco, praeter ea, quae hic propria adnotantur.

Oratio.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Beato Rizzerio Confessori tuo donum curationum contulisti, tribue nobis quaesumus ut ejusdem intercessione ab omnibus malis expediti, coronam gloriae consequi mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Rizzerius in Castro Muciae Dioecesis Camerinensis nobili genere ortus, Bononiae humanis

disciplinis animum excoluit. Ibi quum concionibus Seraphici Patris una cum Beato Peregrino de Fallerone interfuisset, ambo protinus ad illum accesserunt, habitumque Minorum impetrarunt. Tum Rizzerius per viam activam ambulans, ac Deo, proximoque fideliter serviens, quum in maximam Sancti Patris familiaritatem pervenisset, Minister Provinciae Picenae Anconitanae constituitur, quam quidem prudentissime administravit.

Lectio V.

Ut vero tamquam aurum in fornace probaretur gravissimas illi Deus tentationes permisit, quibus superandis in abstinentia, asperis corporis castigationibus, lacrymis, et Orationibus se plurimum exercuit. Ut autem gratiam, quam impetrabat promptius obtineret ad Seraphicum suum Patrem contendit, cujus ope, ut tradunt Sancti Bonaventura, et Antoninus, a Deo liberatur. Exinde ab ejusdem Sancti Francisci, qui graviter aegrotabat, latere dimovere se noluit, eique morienti adfuit. A quo quum audisset Minorem Fratrem solis vestibus oportere se esse contentum, ei se regulae perfecte conformavit.

Lectio VI.

Tandem virtutibus, et miraculis clarus Anno millesimo ducentesimo trigesimo sexto in patria sua spiritum Deo reddidit. Ejus corpus in Ecclesia Sancti Jacobi secreto in loco occlusum tamdiu mansit donec judicialiter Episcopali auctoritate fuit recognitum. Cultus tamen statim ab illius obitu inceptus, et continua miraculorum serie erga eos presertim, qui febribus, uti constans fert traditio, laborant, confirmatus ad nostra usque tempora perennavit. Quem rite examinatum Gregorius Decimus Sextus ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, confirmavit, hujusque festi honorem concessit.

IN III. NOCTURNO.

De Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri: *Missa* Os justi, *de communi cum prima Oratione propria.*

B. ARCHANGELI A CALATAPHIMO

CONF. I. ORD.

Duplex minus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. praet. seq.

Oratio.

Clementissime Deus, qui Beatum Archangelum Confessorem tuum solitudinis cultorem evangelicae praedicationis gratia sublimasti; concede nobis famulis tuis, ut ejusdem imitantes exempla consequamur et praemia. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Archangelus in Oppido Calataphimi Dioecesis Mazzariensis in Sicilia nobili Placentia stirpe progenitus, a primis anni ut Mundi divitias illecebrasque declinaret in Eremum prope Oppidum secessit, et sub Ecclesia a Jubino dicta in antro sese recepit, ubi in oratione

vigilans crebra Beatissimae Mariae Virginis visione est recreatus. Quum tamen fama illius sanctitatis et miraculorum, quae plurima per ipsum fiebant, brevi percrebuisset, ejusdem propterea nomen admodum illustratum esset, saeculi honores, omniumque frequentiam exosus indè discedens Alcamum contendit. Ibi quùm ei Hospitale aliquanto antea relictum, quod a S. Antonio nuncupabant, oblatum esset, illuc transmigravit, deinde sese occuluit in Antro, quod hodiedum a Beato Archangelo appellatur. Eremis autem a Martino Papa V. in Sicilia aboletis, sacram S. Francisci vestem a Beato Matthaeo Agrigentino Panormi recepit, ac tyrocinio expleto Alcamum repetiit, ubi Hospitali in formam Conventus redacto, Vicarius Provinciae renunciatur.

Lectio V.

In omni vitae statu exiimiis virtutibus eluxit. Fuit enim humilis, ut nosci se a nemine cuperet: temperans, ut herbis et aqua viveret: justus, ut peccata horreret: prudens, ut terrestra despiceret: ea vero fide, spe, charitate, ut coelestia semper contemplaretur. Regularium Instituti in primis extitit rigidus custos, atque promotor in mandatis servandis, in Dei gloria promovenda, in animarum salute procuranda caeteris exemplo praeivit, nec

sine laude verbum Dei praedicavit. Quapropter meritorum plenus, miraculorum, et prophetiae dono illustris, senioque confectus, Anno millesimo quadrigentesimo sexagesimo in sui Ordinis Conventu cum ingenti Sanctitatis fama decessit.

Lectio VI.

Hic communi in Sepulchro, separato tamen in loco, tumulatus ad praeces Alcamensium e tumulo educitur, ut super Altare in Urna marmorea cum Imagine radios circa caput referente collocaretur. Tunc admodum aucta est Fidelium pietas ex eo, quod sarmenta corpori supposita inventa sunt pampinos germinasse. Exinde non solum Alcamenses festum quotannis solemni pompa celebrare consueverunt, sed etiam Calataphimenses, finitimique Populi multa publici et ecclesiastici cultus testimonia exhibuerunt. Postremo Corpus in eadem Minorum Observantium Ecclesia in Ædiculam S. Francisci translatum est, et in Altari compositum. Haec omnia rite probata Gregorius Papa XVI ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto confirmavit, ejusque festum in Ordine Minorum S. Francisci de Observantia, et ab universo Clero Dioecesis Mazzariensis Officio Missaque propria colendum indulsit.

In III. Nocturno de primo loco.

B. GHERARDI A VILLAMAGNA

Conf. 3. Ord.

Duplex minus.

Omnia de comm. Conf. non Pont. praet. seq.

Oratio.

Deus, qui per jugem Filii tui Passionis memoriam Beatum Gherardum Confessorem tuum altissimae contemplationis, et poenitentiae studio decorasti; da nobis famulis tuis ut ejus vestigia inhaerentes, redemptionis praemia consequi valeamus. Per eumdem.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Gherardus humili genere natus in Oppido Villaemagnae prope Florentiam duodecimo aerae Christianae vertente saeculo, Parentibus arvis excolendis addictis adhuc puer orbatus, Florentiae ab ipsis arvorum heris domo exceptus pie, christianeque fuit educatus, Cum autem

unus ex his Eques Hierosolymitanus navigaturus esset in Syriam adversus Infideles, egregia Gherardi indole, et virtutum ornatu captus voluit eum, cui jam per aetatem licebat, socium sibi adsciscere. Sed cum praeliantes ambo in hostium manus misere devenissent, post ingentes aerumnas redempti fuere. Cum vero Eques quo cum iter fecerat, decessisset, Gherardus in perlustrandis Terrae Sanctae locis ad poenitentiae studium inflammatus in Etruriam rediit, et in suum tugurium apud Villamagnam se recepit. Non multo post cum altero ordinis Hierosolymitani Equite iterum Syriam petiit, et cum navim, qua ipse una cum viginti Hierosolymariis Militibus vehebatur, ab immani pirata viribus multo majoribus oppugnari videret non aliter quam enixis ad Deum precibus ab imminenti illo discrimine sese sociosque liberàvit.

℟. Honestum.

Lectio V.

Hierosolymis aliquot annos moratus ob spectata ejus virtutuum merita Equitum Hierosolymariorum Cruce donatus fuit, atque inter eos cooptatus quos Auxiliares seu Famulantes appellant. Ibidem singulari erga Infirmos, et Peregrinos charitate, et assiduae coelestis contemplationis studio maximam sibi sanctitatis fa-

mam adeptus est, ejus itaque declinandae causa ab Ordinis Praesidibus veniam petiit redeundi in Patriam. Italiam versus navigans saeva maris procella suis precibus sedata, et in Etruriam appulsus a Sancto Francisco Assisiensi Tertii Ordinis Minorum habitum devotissime accepit. Patriam deinde repetens domunculam extra Oppidum secessit ea mente, ut eremiticam vitam posthac duceret, ubi flagellationibus asperum, coelestium tamen contemplatione suave vitae genus instituit. Pane tantum et herbis utebatur ad victum, quibus raro legumina addebat, ac praeter Ordinis Minorum abstinentias, ter in hebdomada jejunabat. Charitate in Proximum ardens ut juvaret aegros, egenosque, stipem ipse quaeritabat omnesque ad eum confluentes, vel in rectam salutis viam revocare, vel ad perfectionem impellere omni ope atque opera studebat.

℟. Amavit eum.

Lectio VI.

Orandi assiduitate callum genibus obduxisse post ejus obitum compertum est. Nam praeter diurnas precationes Ecclesias valde inter se dissitas terper hebdomadam noctu visitabat, vetustam praesertim in vertice Montis qui Incontrus appellatur, quem locum Beatus Leonardus a Portu Mauritio consulto ad sui Or-

dinis recessum instituendum selegit, quia eo frequentius Gherardus in coelestium rerum contemplatione sese recipere consueverat. Dono tandem prophetiae, scrutationis cordium, morborum sanationis, et miraculorum clarus, plenusque dierum anno millesimo ducentesimo quadragesimo secundo, sui obitus die cuidam Monacho e Sacra Sancti Benedicti familia, quo conscientiae Moderatore utebatur praenunciato; et Ecclesiae Sacramentis rite devoteque munitus, mense Majo placide obdormivit in Domino. Statim ejus habitaculo ob miraculorum copiam in Ecclesiam ei dicatam constructo, ejusque Corpori in lapidea urna recondito, publicus, et Ecclesiasticus cultus exhiberi caepit, quem per annos fere sexcentos jugiter continuatum, et auctum, Summus Pontifex Gregorius XVI ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio solemni Decreto ratum habuit, et confirmavit, benigneque indulsit ut ejus Festum tam a Clero Florentino, et Fesulano, quam, ab Ordine tum Hierosolymitano, tum Minorum Sancti Francisci Missa, Officioque proprio celebraretur.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Ev. Nolite timere, ***de eodem comm.*** *2. loco.*

S. VERONICAE DE JULIANIS

VIRG. ORD. CAPP.

Duplex minus.

Omnia ut in comm. Virg. praeter sequent.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui Beatam Veronicam Virginem Passionis tuae signis mirabilem effecisti, concede propitius ut carnem crucifigentes ad gaudia aeterna pervenire mereamur. Qui vivis.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Veronica de Julianis antea Ursula dicta Mercatelli quod oppidum est Urbaniensis Dioecesis, piis, honestisque parentibus nata ab ipsius incunabulis mira futurae Sanctitatis indicia praebuit. Nam infantula cum alias copiosum lac sugeret tribus hebdomadae diebus paucas guttulas mane et vespere gustabat. Vix sex menses nata die Sanctissimae Trinitati dicato e

sinu matris firmis pedibus prosiliit. Adhuc tenella hominem quemdam gravibus verbis ab injustitia deterruit. Familiari Jesu pueri, beatissimaeque Virginis consuetudine fruebatur, et aliquando divinus Puer ad eam cum lacrymis orantem, ut consolaretur, descendit; quandoque etiam ab ipsa Deipara illum accepit, praenunciato ejusdem cum Jesu spirituali sponsalitio, adjuncta arrha, bello scilicet, quod ipsi sustinendum fuit ab hominibus, atque infernis hostibus. Ad hoc Veronica, cum nondum pueritiam excessisset, sese accinxit humilitate summa parique obedientia, et vehementi Christum Dominum pro nobis passum et crucifixum imitandi desiderio. Ut autem id uberius consequeretur ad Sanctimoniales Capuccinas Tifernates quae primaevam Sanctae Clarae regulam profitentur, superatis domesticis, externisque obstaculis, confugit.

Lectio V.

Ab ipso tyrocinio perfectum aliquid et consummatum jam attigisse videbatur. Sustinuit invicto pectore a Daemone excitatas adversitates. Uberrimis interea gratiae suae donis Victricem Sponsam locupletabat Jesus. Sacris Stigmatibus eam fuisse signatam, itemque corona spinarum alte confixarum, et Passionis insignibus in Corde decoratam, ac jugibus

pene extasibus recreatam, multiplici testimonio traditum est. Haec omnia amplam molestiarum segetem Veronicae pepererunt: non enim defuere qui id omne malis artibus tribuerunt, eamque dicerent poena omni, infamique supplicio dignissimam. Ferebat haec alacriter fortissima Virgo: optabat etiam ut crudeliora quotidie in se congererentur pro Sponso suo Cruci affixo sustinenda. Traditur in tenebricosum carcerem, subjicitur infimae ex Sororibus, cui edicitur ut eam acerbe tractet: neque vitam amat nisi summis exagitatam tribulationibus; etsi quandoque desertam se ab Sponso ac veluti derelictam conquereretur, quod erat ei tormentum omnium amarissimum.

Lectio VI.

Quam Deo voverat Moderatoribus conscientiae suae obedientiam mirabili prorsus perfectione coluit. Diuturnissima jejunia ex obedientia transegit: neque vero extremum emisit spiritum diu cum morte luctans, nisi cum esset jussa mori: quippe sciebat obedientia nullum Sponso suo esse gratius sacrificium. Triginta tribus annis, quibus Praesidis obire partes coacta est traditas ejus curae sorores ad omnem sanctitatem suo praecipuo exemplo provexit. Ut patiendi votis fieret satis,

apoplexiae, qua correpta fuit, accessere morbi prope omnes qui acerbissimi judicantur. Sustinuit omnia costanti animo triginta tres dies donec in Sponsi Jesu amplexus evolavit die nona Julii anno salutis millesimo septingentesimo vigesimo septimo, religiosae vitae quinquagesimo. Heroicarum denique virtutum cumulo, ac Miraculis illustrem Pius Septimus Pontifex Maximus Beatam nuncupavit, Gregorius vero Papa XVI solemni ritu Dominica Sanctissimae Trinitatis anno millesimo octingentesimo trigesimo nono Sanctarum Virginum Collegio adscripsit.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Evang. Simile erit Regnum Coelorum decem Virginibus, *de communi Virginum.*

B. BAPTISTÆ VARANI

Virg. 2. Ord.

Duplex minus.

Omnia de communi Virginum primo loco, praeter ea, quae hic propria adnotantur.

Oratio.

Deus, qui Beatam Baptistam Virginem tuam in contemplatione Unigeniti Filii tui Passionis amoris igne flagrare fecisti; concede quaesumus, ut ejus precibus et intercessione eam semper venerando recolentes, fructus ejusdem percipere mereamur. Per eumdem Dominum.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Baptista Julio Varano Camerti Duce progenita adhuc puella audito de Christo patiente sermone, adeo caritate efferbuit, ut illum quotidie pia meditatione recolere numquam deinde cessaverit, ac abstinentia, jejunio, diraque corporis castigatione imitari sategerit. Nec minore erga Deiparam Virginem amore succensa

singulis quibusque noctibus lectulo surgere solebat, ut Rosarium ejusdem obsequio recitaret. Sic brevi factum est, ut se vitae regulari vocatam senserit, quam quominus sequeretur, reluctantis Patris animus diu impedivit. Interim tamen victo post biennale certamen Patre, Urbini in Asceterio Sanctae Clarae Seraphicas Vestes suscepit, ac solemnia vota nuncupavit.

Lectio V.

Non multo elapso tempore expetita in Patria, et ab ejus Patre accita, ut ibidem suis sumptibus novum ejusdem Ordinis Asceterium fundaret, cum nonnullis Virginibus Sociis Camerinum ex obedientia remeavit. Ibi primitivam Sanctae Clarae regulam professa, Petro Malianensi Generali Vicario Moderatore ad vitae austeritatem, varias observantiae regularis, ac perfectionis religiosae institutiones adjunxit. Inter ejus virtutes in primis eluxit ardens patiendi desiderium, ut etiam adversa tolerare divinam bonitatem exoraverit. Voti compos facta diutinos, saevosque morbos, vehementes Daemonis tentationes, minas, aliaque mala fortis, alacrisque substinuit. Exemplo Christi pro crucifixoribus rogantis, nullam injuriarum, ne tum quidem quum Pater, et Frater impie necati sunt, in corde suo sensiit memoriam, nullam ab auctoribus aversionem, et ne

hoc ipsis peccatum statueretur, Deum enixius exoravit. His, aliisque virtutibus incredibile est, quot quantisque coelestibus gratiis fuerit a Deo ditata: ex quibus illud memoriae dignum, quod mentales Christi dolores non solum contemplando viderit, sed etiam scribendi mandatum ad alienam utilitatem acceperit.

Lectio VI.

Undique illius sanctitatis fama pervagata a Firmanis Civibus pro novi Clarissarum Monasterii fundatione expetitur, qua absoluta, Camerinum reversa omnium consensione Praeses renuntiatur. Eo munere egregie perfuncta, ac meritis plena in Festo Corporis Christi die primo, et trigesimo Maji millesimo quingentesimo vigesimo septimo, aetatis suae octavo et sexagesimo, animam Deo reddidit. Corpus distincto in loco sepultum, ac trigesimo ab illius interitu anno exhumatum fuit, ac ejus ossa in urna marmorea fuerunt composita; hujusmodi autem lingua argentea theca inclusa inter Sanctorum Reliquias adhuc servatur. Statim post mortem ecclesiastico, et publico Baptistam cultu populus est prosequutus, quem ad hunc usque diem continuum ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto probavit Gregorius Decimus sextus Pontifex Maximus, eique Officii et Missae honores benigne concessit.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Homilia Sancti Gregorii Papae Saepe vos, Fratres charissimi, admoneo; *in Evangelium* Simile erit Regnum Caelorum; *de communi Virginum.*

B. PAULÆ GAMBARÆ COSTÆ

VID. 3. ORD.

Duplex minus.

Omnia de comm. non Virg. praeter sequent.

Oratio.

Domine Jesu, qui Beatam Paulam tuae Crucis imitatione in via Sanctitatis perfecisti, ejus meritis et exemplo concede ita nos hujus vitae aerumnas tolerare, ut in hora exitus nostri Crucis amplexu consolemur. Qui vivis, et regnas.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones Mulierem fortem, *extra Quadragesimam : de Scriptura.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Paula Gambara nobilissimo genere Brixiae nata, Comiti Ludovico Costa nuptui tradita est,

et magna cum ambitione Bennas Pedemoniti Oppidum perducta. Ibi Confessarium adepta Beatum Angelum a Clavasio, illius suasione Tertio Seraphico Ordini adscripta, divitias, honores, caeterasque mundi vanitates abjecit seque totam exercendis misericordiae operibus convertit. Nam et quotidianis eleemosynis indigentium miseriis opitulabatur, mensae cibos ori suo subducens pauperibus erogabat, et aliquando rigentis hiemis algore pauperem nudis pedibus super gelu aegre incedentem propriis calceamentis operuit. Hanc charitatem quum Maritus moleste ferret, panemque gremio ad egenos afferentem olim invenisset, panis, ut fertur, in rosas commutatus est.

Lectio V.

Verum patientiae atque humilitatis exercendae copiam Deus plurimam dedit, et famulorum etiam ludibrium ipsa facta est. Has animi angustias munifica liberalitate, ac benignitate compensare, rerumque coelestium contemplatione lenire sategit. Deiparam Virginem tenerrimo amore prosequebatur, et patientis Christi doloribus commota, cilicia flagella, ac potissimum jejunia adhibuit, quae feriis quarta, et sexta ac Sabbato solo pane et aqua tolerabat. Hinc capitis dolore, ac stomachi languore affecta, Deo benedicebat, et ae-

gritudinis molestias summa aequanimitate pertulit. Anno demum millesimo quingentesimo quinto evolavit ad Coelum, pauperibus quidem vehementer dolentibus, universis autem Beatam inclamantibus.

Lectio VI.

Cum Paulae sanctitatem Deus illustrasset splendoribus super tumulum obortis, Bennenses Cives ejus Corpus e gentilitio sepulcro elatum, sublimi in loco ad gentilitii Sacelli Aram publico cultui exposuerunt. Tum vero Beatae Paulae imagines aureola distinctas prodiere, Sacellum urnamque ornari, lumina accendi, anathemata suspendi, annuum Festum celebrari, triduanas et novendiales preces solemniter adhiberi, in necessitatibus ab incolis, atque exteris ad illius cellam sacras supplicationes institui, ab omnibus invocari. Quibus, aliisque venerationis publicae argumentis in Sacrorum Rituum Congregatione probatis, Gregorius decimus sextus Cultum confirmavit, propriumque Officium cum Missa tam Ordini Minorum Sancti Francisci, quam Dioecesibus Montis Regalis, et Fossanensi benigne indulsit.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Homil. in Evangelium Simile est Regnum Coelorum thesauro, *ut in communi.*

B. LUDOVICÆ SABAUDIÆ

VID. 3. ORD.

Duplex minus.

Omnia de comm. non Virg. praeter sequentia.

Oratio.

Deus qui in Beata Ludovica per omnes vitae semitas traducta, singulare virtutis exemplum proposuisti, concede ut in via, qua nos vocasti, ejusdem vestigia sequamur, et cum ipsa ad Te pervenire mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

In I. Noct. Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ludovica Beati Amadei Sabaudiae Ducis Filia a teneris annis in omnem pietatem instituta, ac propensa futurae sanctitatis indicia praebuit. In ea jam tunc eluxere mira vitae innocentia, flagrans orationis studium, pudor singularis, rerumque humanarum despectus. Virginitatem Deo vovere dum cogitaret, Patruo obsequens, cujus fuerat post Parentum mortem commissa tutela, Viro Princip. a Gabillone nupsit. Virtutes in quibus Virgo ap-

prime se exercuerat, in ipso conjugio impensissime excoluit. Mundi vanitate, et Aulae illecebris abhorrebat, vitae sanctitate, monitis et oratione subditorum mores brevi ad meliorem formam reduxit, ac Virum suum, quem in Deo summopere diligebat ad Evangelicam perfectionem sectandam mirifice inflammavit.

Lectio V.

Vigesimo septimo aetatis anno Viro orbata se totam Deo mancipavit. Religiosum Sacrarum Virginum Institutum ut primum liceret amplecti enixe desiderans, adduci numquam potuit ut alteras nuptias iniret. Modica familia, tenui victu, ac vestitu contenta, sub quo rudem Franciscalium tunicam gestabat, coelestium rerum contemplationi, poenitentiae ac pietatis operibus sedulo vacans in perfectionis christianae studio quoditie profecit. Ardentiori interim charitate fervescens profusa liberalitate, ingentes opes in pauperum, sactimonialium, clericorum alimoniam erogabat, aegros, teterrimisque morbis infectos invisebat, solabatur, iisque etiam ministrabat.

Lectio VI.

Temporalibus tandem expedita negotiis divinae voluntati parens, suisque frustra obsi-

stentibus, sancti propositi tenax ad Franciscalium Virginum familiam in Orbae coenobium laeta convolavit. Disciplinae regularis observantia, humilitate, obedientia, et omnimoda sui abnegatione brevi caeteris praestitit. Victum quaeritare, ab aliis reprehendi, in seipsam saevire in deliciis habuit. Ferventissimo in Christum passum, et Virginem Matrem rapiebatur affectu, ac divinis interdum charismatibus affluebat. Gravi denique correpta morbo quadragesimo secundo aetatis anno, Ecclesiae Sacramentis rite pieque susceptis, die quam praedixerat, vigesimaquarta Julii anni millesimi quingentesimi tertii ad coelestem Sponsum feliciter migravit. Sanctitatem ejus plurimis Deus prodigiis post mortem illustravit; hinc honorifico Sepulcro condi, ac Noseretum transferri, aliisque Ecclesiastici cultus obsequiis decorari meruit. Quem rite probatum Gregorius Decimus sextus Pontifex Maximus anno millesimo octingentesimo trigesimo nono ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto confirmavit, Officiumque proprium in illius honorem recitandum ad universam utriusque sexus Seraphici Ordinis Familiam Sacra eadem Congregatio extendit.

IN III. NOCTURNO.

De eodem commun. non Virg. etc.

Officia pro Fratribus Minoribus Strictioris Observantiae Discalceatorum Provinciae S. Paschalis Baylon Lyciensis in Regno Neapolitano ex specialibus Indultis Summorum Pontificum maxime SS. D. N. PII Pp. IX. Neapoli ex typographia P. Tizzano 1851 imprimantur.

Datum Neapoli ex Curia Archiepiscopali die 24 Maji 1851.

Adest ✠ Sigillum

V. C. Balzano Prov. Gen.

J. Trama Vic. Segr.

Napoli 28 Maggio 1851.

CONSIGLIO GENERALE
DI PUBBLICA ISTRUZIONE.

Vista la dimanda del tipografo Pasquale Tizzano con che ha chiesto ristampare l'opera intitolata: *Officia pro Fratribus Minoribus Strictioris Observantiae Discalceatorum Provinciae Lyciensis S. Paschalis Baylon in Regno Neapolitano ex specialibus Indultis Summorum Pontificum maxime SS. D. N. PII Pp. IX.*

Visto il parere del Regio Revisore D. Girolamo Canonico Pirozzi.

Si permette che la suindicata opera si stampi; però non si pubblichi senza un secondo permesso che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Presidente interino
Francesco Saverio d'Apuzzo.

Il Segretario interino
Giuseppe Pietrocola.

MONITUM.

Singulis sextis feriis, etiam classicis aut de Praecepto (*exceptis fer. 6. in Parasceve , et quando dici debet Offic. Defunctorum juxta Rubric. et Kalendar. N. Provinc.*), et non obstante quovis impedimento sequentis diei non potest can. Miss. votiv. de Immacul. Conception. B. M. V. tamen post Complet. canit. *Benedicta*, prout praescriptum reperitur in Statutis Ord. N. anni 1553. a Julio III. confirmatis, necnon in Segoviensibus an. 1621., et Toletanis an. 1633. etiam ab Urbano VIII. Apostolico munimine roboratis, et a N. Capit. Provinc. celebr. in Quint. Conv. an. 1749. recept. ac a Capit. N. Provinc. an. 1841. renov. (*V. Lib. I. pag. 51. et Lib. II. pag. 138. Act. Origin.*).

Singulis etiam Sabbatis (*exceptis tant. solemnioribus, aut privilegiatis, juxta ultim. Decr. S. R. C. 11. Augusti 1770., idest Sabbato Sancto, Sabbatis infra Oct. Resurrect., Dom. Pentec. , Epiph. , et Vigiliis Pentec., Nativ. Dom. et Epiph. in Sabbato incident. ac omnibus Festis primae et secundae classis, et etiam quando canit. Missa Defunct. ut supra, et tunc Missa de Imm. Concept. B. M. V. applic. lect.*) post Tertiam cant. debet Missa votiv. de ejusd. Imm. Concept. B. M. V.

Eadem Miss. votiv. ex speciali Indulto huic N. Provinciae a Benedicto XIV. concess. die 14. Junii 1755. potest etiam priv. ab omnibus Sacerdot. ejusdem Provinciae celebr. non omissa tamen Missa Conventuali.

RUBRICÆ—In ipsa Mis.votiv.sive cant., sive plan. tres sunt dicend. orat. in simplicib. et semiduplicib., et duae in duplicib. nisi faciend. sit commem. alicujus simplic.Oct.etc.—*Gloria* semper dicit.ratione Sabb.—*Credo* omitt.(S.R.C.die 18.Martii 1775.)—In Sabbatis autem, in quibus occurrat quaevis Festivitas B. M.V. aut infr. Octav.ejusd. dici debet Missa Festivit.occurr. aut de infra Oct.tamquam non votiva si de eadem Oct. recitetur Offic.(in hoc casu dic. *Credo*); si vero recitetur de alio Sancto dici debet pariter Miss.de infra Oct.sed more votivo, non vero Missa *Egredimini*. S.R.C. 26. Januarii 1793.

/IS PRIVATIS

	ONES	CREDO	PRAEFATIO	ANTE BENED.
SCHÆ OSR.	ei curr.	Omittitur	Propria	Bened. Domino
	ei curr.	Omittitur	Propria	Bened. Domino
nos.	ei curr.	Omittitur	De Nativ.	Bened. Domino
pro	ei curr.	Omittitur	De Cruce	Bened. Domino

rp. Christi — Feria IV. Cinerum — Tota Hebdomada
ri — Vigiliis Pentecostes, et Nativitatis Domini.

in præ- *Defunctis dici non potest in*

uadrag. Horarum, vel pro re gravi, aut publ. Eccle-
causa, regulariter celebr. nequit Mis. privata de Requ.
antari Mis. Defunct. pro Anniversario.

est. *rationem non admittunt*

fieri potest comm. in Miss. Solemn. in Triduo Mortis
.cujus *lelium* ti, ac Dominicis Paschae, et Pentecostes.).

rata omitti debet in

as. sub unic. conclusione; et post alias Orat. in dupl.
es. — Ob Collectam nulla omitti potest de Orat. uni-
um 9. Missae assignatis, nec illa, quae dicitur *Ad libitum*).

S. Sacramenti.

, qui ccurrent. commemorationum. *Per Dominum...* ut supra.
. In Missa privata, etsi de Feria etc. tam coram Sa-
ento, quam ad alia Altaria celebrata, si expositio fit in
40. Horarum, *fieri debet* comm. Sacramenti, sed post
alias com. de praecepto, non exclusa illa quae dic.
ibitum. In aliis vero Exposit. *fieri potest* ut supra,
cum conclus. *Per Domin. nostr.* ut supra.